METAPHRASTICA EXPOSITIO IN 1. CAP. GENESEOS EX SANCTIS PATRIBUS, AC SACRIS...

Lupercio : de Huete

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
7 0
48

Ag. 1.

14
6
E
13

METAPHRASTICA

EXPOSITIO IN I. CAP. GENESEOS ex ſanctis Patribus, ac ſacris Doctoribus, et Theologis Scholaſticis collecta.

IN QVA quidquid Theologiæ, Metaphyſicæ, ac Naturalis, nec non et Moralis Philoſophiæ, ad hiſtoricam, et litteralem intelligentiam totius enarrationis creationis omnium rerum, per Moiſen contextæ, eſt neceſſarium; facillime ſtudioſi lectores inuenient.

AVCTORE F. LVPERCIO DE GVETE S.Theol. Magiſtro, ac prouinciæ Aragoniæ Ord. Prædic. alumno, Conuentusq. Valentini humillimo filio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



CVM PRIVILEGIO.

VALENTIAE Apud Philippum Mey. 1589.

NOS Don Phelippe
Por la gracia de Dios Rey de Caſtilla,
de Aragon, de Leon, de las dos Sicilias,
de Ieruſalem, Portugal, de Vngria, de
Dalmacia, de Croacia, de Nauarra, de
Granada, de Toledo, de Valencia, de
Galicia, de Mallorcas, de Seuilla, de Cer
deña, de Cordoua, de Corcega, de Mur
cia, de Iaen, de los Algarues de Algezira, de Gibraltar, de las iſ-
las de Canaria, de las Indias Orientales y Occidentales, de las iſ-
las y tierra firme del mar Oceano; Archiduque de Auſtria, Du-
que de Borgoña, de Brabãte, de Milan, de Atenas y Neopatria;
Conde de Abſpurg, de Flandres, de Tirol, de Barcelona, de
Roſſellon, y Cerdania; Marques de Oriſtan, y Conde de Gocia-
no. POR quanto por parte de vos fray Lupercio de Guete,
Maeſtro en ſacra Theologia, de la Orden de Santo Domingo de
Predicadores, nos ha ſido hecha relacion, que con mucho traba-
jo haueys compueſto vn libro intitulado Metaphraſtica expoſi-
cion ſobre el primer capitulo del Geneſis, con fin de hazerle im
primir en los dichos nueſtros reynos y ſeñorios de la Corona
de Aragon; ſuplicandonos, que para ayuda al gaſto que ſe ofre-
cera en la dicha impreſsion, os mandaſſemos dar licencia para
que vos, y no otro alguno, le podays hazer imprimir, y vender
en los dichos reynos y ſeñorios de la Corona de Aragon, por
tiempo de veynte años. E NOS teniendo conſideracion a lo
ſuſodicho, y que de la perſona que por nueſtro mandado le ha
reconocido, tenemos baſtante relacion de que en el no hay coſa
que repugne a nueſtra ſanta Fe Catolica, y que ſera muy pro-
uechoſo para la Republica Chriſtiana; hauemos tenido por biẽ,
para que juntamente de vueſtros trabajos tengays y conſigays
algun fruto, daros la dicha licencia por tiempo de diez años, en
la manera infraſcripta. Porende con tenor de las preſentes, de
nueſtra cierta ſciencia y Real autoridad, deliberadamẽte y con-
ſulta, damos licencia, permiſſo, y facultad a vos el dicho fray
Lupercio de Guete, Maeſtro en ſacra Theologia; y a la perſona
o perſonas que vueſtro poder tuuieren; que podays imprimir, o

 hazer

hazer imprimir al impreſſor, o impreſſores que quiſieredes, el dicho libro intitulado Metaphraſtica expoſicion ſobre el primer capitulo del Geneſis, en qualeſquier ciudades, villas y lugares de los dichos nueſtros reynos y ſeñorios de la Corona de Aragon, y venderle en ellos, aſſi los que huuieredes impreſſo, o hecho imprimir en dichos reynos, como en otras partes, durante el tiempo de diez años. Prohibiendo, ſegun que con las preſentes prohibimos y vedamos, que ninguna otra perſona le pueda imprimir, ni hazer imprimir, ni vender, ni lleuarle impreſſo de otras partes a vender a los dichos nueſtros reynos y ſeñorios, ſino vos, o quien vueſtro poder tuuiere, por el dicho tiempo de diez años, deſde el dia de la data de las preſentes en adelãte contaderos; ſo pena de dozientos florines de oro de Aragon, y perdimiento de moldes y libros: diuididera la dicha pena en tres iguales partes, vna a nueſtros Reales cofres, otra para vos el dicho fray Lupercio de Guete, y la tercera para el acuſador. Con eſto empero, que los libros que huuieredes impreſſo, o hizieredes imprimir, no los podays vender, haſta q̃ hayays traido a eſte nueſtro ſacro ſupremo Real Conſejo, que cabe nos reſide, vno dellos, para que ſe comprueuen con el original que queda en mano de Pedro Franqueſa nueſtro Secretario, y ſe vea ſi la dicha impreſsion eſtara conforme al dicho original que ha ſido aprouado. Mandando con el miſmo tenor de las preſentes, a qualeſquier Lugartenientes, y Capitanes generales, Regentes la Cancelleria, Regente el officio y portant vezes de general Gouernador, Alguaziles, porteros, vergueros, y otros qualeſquier oficiales y miniſtros nueſtros, mayores y menores, en los dichos nueſtros reynos y ſeñorios de la corona de Aragon conſtituidos y conſtituideros, y a ſus lugartenientes, y regentes los dichos oficios, ſo incurrimiento de nueſtra ira e indignacion; y pena de mil florines de oro de Aragon, de los bienes del que el contrario hiziere exigideros, y a nueſtros Reales cofres aplicaderos; que la preſente nueſtra licencia y prohibicion, y todo lo en ella contenido os tengan, guarden, y cumplan; tener, guardar, y cumplir hagan ſin contradiction alguna: y no permitan, ni den lugar a que ſea hecho lo contrario en manera alguna, ſi nueſtra gracia les es cara; y demas de nueſtra ira e indigna-

dignacion, en la pena ſobredicha deſſean no incurrir. En teſtimonio de lo qual hauemos mandado deſpachar las preſentes, con nueſtro ſello comun en el dorſo ſelladas. Dat. en la villa de Madrid, a onze dias del mes de Nouiembre, año del nacimiento de nueſtro Señor Ieſu Chriſto Mil quinientos ochenta y ocho.

Yo el Rey.

V. Frigola Vicecancell.
V. Comes gñalis Theſaur.

V. Terça R.
V. Quintana R.

V. Franqueſa pro Conſ. gñali.
V. Campi R.
V. Marzilla R.

Dominus Rex mandauit mihi Petro Franqueſa, viſa per Frigola Vicecancell. Comitem gñalem Theſaur. Campi, Terça, Marzilla, et Quintana Regentes Cancellar. et me pro Conſ. gñali.

In diuerſor. xxiiij.
fol. nono.

Cenſura, & approbatio huius operis.

EX commiſsione ſupremi Senatus Regni Aragoniæ librum hunc vidi, et perlegi: et adhibita omni cura, atque ſolertia, nihil offendi quod fidei Catholicæ, vel ſacrorum Conciliorum, aut ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ decretis aliqua ex parte aduerſari videatur. Quinimo omni commendatione dignisſimum iudicaui; eo quod in hoc priori capite Geneſeos (quod elucidandum auctor ſuſcepit) non ſolum agit Paraphraſtem, verum etiam nobiliſsimum Interpretem. Abſtruſos enim, ac reconditos ſenſus ſacræ Scripturæ gnauiter ſcrutatur, nec non mira facilitate eleganter explicat: in proponendis autem, atque proſequendis quæſtionibus, quæ circa litteralem ſenſum a ſacris auctoribus agitari ſolent, vincitur a nemine. Quo fit, vt auctoris in hoc opere iudicium, et diligentia multorum animum alioqui laborantem, et ſæpe vagantem plurimum leuare poſsit, quod luce meridiana clarius lectori innoteſcet: ita vt non noſtra, vel fucata, ſeu elaborata commendatione indigeat. Dignum ergo iudicaui eiuſmodi opus, vt in ſtudioſorum vtilitatem in publicum prodeat, præloq. mandetur. In cuius rei teſtimonium has noſtras litteras dedimus, ſubſcriptionemq. noſtram adiecimus; in hoc Conuentu D. Franciſci apud Mantuam Carpentanorum, ſiue Matritum, in Curia Catholici Regis noſtri Philippi, decimo ſeptimo Kalend. Nouembr. anni 1588.

Franqueſa Secret.°

Frater Franciſcus a Caceres
Doctor Theologus.

NOS don Ioan de Ribera por la gracia de Dios y de la ſanta Sede Apoſtolica Patriarcha de Antiochia, Arçobiſpo de Valencia, y del Conſejo de ſu Mageſtad, et c. Por el tenor de la preſente damos licencia y facultad para que en eſta ciudad de Valencia ſe pueda imprimir y vẽder el libro intitulado Metaphraſtica Expoſicion ſobre el primer Capitulo del Geneſis, compueſta por el muy Reuerendo Padre fray Lupercio de Guete Maeſtro en ſacra Theologia del Orden de Predicadores; el qual por mandado nueſtro fue viſto y examinado por el Doctor Antonio Galant Rector de la igleſia parrochial de S. Eſteuan deſta ciudad; y no hallo en el coſa que a nueſtra ſanta Fe catholica repugnaſſe, antes le juzgo por vtil y prouechoſo para todos los fieles Chriſtianos. En teſtimonio de lo qual mandamos dar la preſente firmada de nueſtro nombre, ſellada con nueſtro ſello, y referendada por el notario infraſcrito. Dada en Valencia a tres de Março. de M. D. Lxxxviiij.

El Patriarcha.

V. Frexa.

Por mandado del Illuſtriſſ. y Reuerendiſſ. S.
el Patriarcha mi ſeñor
Gregorio Diaz Not. et Secretario.

IN hac Paraphraſtica Expoſitione ſuper Geneſim, quam iuſſu Illuſtriſsimi D. Domini Ioannis a Ribera Patriarchæ Antiochiæ, et Archiepiſcopi Valentini accurate perlegi; nihil eſt quod Fidei Catholicæ Romanæ, aut moribus Chriſtianis aduerſetur: imo vero ex probatiſsimis auctorib. veteribus, et recẽtiorib. multa ſunt in ea congeſta, quæ ſtudioſis ſacræ Scripturæ valde vtilia eſſe poſſunt. Quod atteſtor 26. Februarii 1589.

D. Antonius Galant.

NOS frater Sixtus Fabri Luceñ. ſacræ Theologiæ profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorũ humilis Generalis Magiſter et ſeruus. Muneris noſtri eſſe arbitramur in id incũbere, vt religioſorum noſtræ curæ creditorũ vigiliarum lucubrationes, et laborum fructus ad communem omnium vtilitatem in lucem edantur; quãdoquidem a Chriſto Saluatore noſtro admoneamur talenta non abſcondere, neq. accenſam lucernã ſub modio ponere, ſed ſuper candelabrum, vt omnibus luceat. Tenore igitur præſentium, noſtri auctoritate officii, tibi Reuerendo Patri Fr. Lupercio de Guete ſacrę Theologię Magiſtro noſtræ prouinciæ Aragoniæ, facultatem concedimus; quinimo in meritum ſanctæ obedientiæ mandamus, vt quęcumq. opera impreſsione digna, tam de ſacra Scriptura, quã de ſcholaſtica Theologia, a te præmeditata, et compoſita fuerunt; præcipue vero Metaphraſticam Expoſitionem ſuper I. cap. Geneſ. quantocyus prælo tradere, et typographis excudenda committere poſsis, et debeas. Dummodo per duos Patres Magiſtros Ordinis noſtri prius examinentur, et approbentur: ac omnia denique ſeruẽtur, que iuxta decretum ſacri Concilii Tridentini ſeſſ. 4. de editione, et vſu ſacrorum librorum ſeruari debent. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus ſancti. Amen. Non obſtantib. in contrarium quibuſcumque. In quorum fidem his noſtro ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Dat. in noſtro Collegio Oriolæ die prima Aprilis 1587.

Fr. Sixtus Fabri Luceñ.
qui ſupra manu propria.

Aſſumptionis noſtræ
anno iiij.

Fr. Io. Bapt. Lancius Magiſter.
Prouincialis Terræ ſanctæ.

EX COMMISSIONE Reuerendiſſ. Patris nr̃i F. Sixti Fabri Luceñ. Magiſtri Generalis Ord. Prædicator. perlegi, et ſolerti cura examinaui ego F. Ludouicus Nadal ſacræ Theolog. Magiſter, et prouinciæ Aragoniæ Vicarius generalis, hanc Metaphraſticã Expoſitionem in I. Cap. Geneſ. a R. P. F. Lupercio de Guete ſacræ Theologiæ Magiſtro compoſitam; atq. in ea nihil inueni quod veritati Fidei, ſanæ morum doctrinæ vllo modo repugnare poſſit: quin potius prædictam Paraphraſticã Expoſitionem tam accurate annectit, tam copioſe elucidat, tam diligenter proſequitur, tam catholice, et ſecundum ſanam doctrinam ad veram, et litteralem primi capitis Geneſeos intelligentiam omnibus Theologis proponit; vt miro quodam modo legentium animos in admirationem inducat, atque ad conſiderandos, attenteq. perpendendos nimium reconditos litterales ſenſus huius Moſis enarrationis Geneſis omnium rerum, ope, et induſtria Paraphraſtes ipſe magna dexteritate in hoc opere detectos maxima cũ delectatione rapere videatur. Sed præterea et quidquid ſacræ ſcientiæ Theolog. quantũuis apud grauiſſ. auctores controuerſum; quidquid Metaphyſ. ac Philoſophię diffi cultatis oriri poteſt; quidquid etiã quod ad morũ ſcientiã perti net; quod ad omniũ rerum creationẽ, et naturam cognoſcendã, et exacte cõſiderandã, et perpẽdendã attinere poſsit, admirabili artificio contexit; vt nihil ſacris Theologis, doctis Philoſophis, ac reliquis viris in ſacra, ac œcumenica rerũ creationis narratione verſatis ſubterfugiat, ſiue ipſos lateat quod dubium ingerat, vel ſi hoc opus legerint, negotiũ faceſſere videatur. Quid quod totum id quod ad naturã animaliũ, piſciũ, auium, plantarũ, lapidũ, mineraliũ, quantũ ad eorũ omniũ genera expectat, et ad exactã huius creationis rerũ enarrationis cognitionẽ poteſt conducere, magna diligẽtia explicat, et perſcrutatur? Quapropter valde dignũ exiſtimo opus prædictũ, vt typis mandetur, et in lucẽ prodeat, ad omniũ litterarũ ſacrarũ, et Diuinæ ſcientiæ ſtudioſorum vtilitatẽ, quã permagnam eos oẽs ex huius operis aſsidua lectione ſibi comparaturos minime dubitabo. In cuius approbationis noſtræ fidem eidem ipſi ſubſcripſi in noſtro Conuentu Prædicatorum Valentiæ 5. Calend. Maii 1589.

F. Lud. Nadal qui ſupra manu propria.

ERuditiſsimam in Opus ſex dierum Paraphraſim a doctiſsimo P. Magiſtro Lupercio de Guete conſcriptam, iuſſu Reuerendiſſ. Patris Sixti Fabri Luceñ. Prædicatorum Ordinis Generalis Magiſtri, perlegi: eamq. vt Catholicam, et reconditę Theologiæ myſteriis affluentem, variaq. lectione refertam; typis mandari et poſſe, et debere cenſeo. Valentiæ apud Prædicatores, 5. calendas Maii 1589.

Fr. Vinc. Iuſtinianus Antiſtius
ſacræ Th. Doctor.

EGO Fr. Ludouicus Iſtella ſacræ Theologiæ Doctor, et in Vniuerſitate Valentina eiuſdem facultatis publicus Profeſſor, ex commiſſione noſtri Reuerendiſſ. Patris F. Sixti Fabri Lucenſis, Prædicatorum Ordinis Generalis Magiſtri, Ecphraſticam in primũ Geneſeos caput explanationem a R. P. F. Lupercio de Guete editam, legi; et nihil in ea fidei orthodoxæ repugnans, aut bonis moribus contrarium reperi: quin potius animaduerti, nullis auctorem peperciſſe laboribus, ſed ex variis facultatibus quę magis accommodata eſſe poſſent, ſelegiſſe, vt ſententiam ſacræ lectionis ſub copioſa quadam breuiloquentia elucidans, inuoluta, et obſcura apertis, et conſpicuis verbis illuſtrare poſſet, et decora ſermonis elegantia exornaret; eam ſecutus Paraphraſeos ſpeciem, in qua apud Gręcos Gregorium Neocęſarienſem Epiſcopum maxime claruiſſe legimus. Quare illam dignam prælo iudico. Valentiæ apud Prædicatores, 5. calend. Maii 1589.

Fr. Lud.⁹ Iſtella qui s̄.

Perilluſtribus, et eximiis Valentinae civitatis reipvblicae magiſtratibus,

Ximen Perez Almunia præcipuo Patri Equitum Iurato, Ioan. Brizuela primo ciuium Conſuli, Seraphino Michaeli Equiti, reliquisq. ciuitatis Conſulib. Chriſtophoro Perez de Almaçan, Iacobo Ioanni Filibert, Ioſepho Nauarro, Patribus etiam Valentinæ ciuitatis conſcriptis; & Onophrio Martorell Rationali, ac Ioanni Onophrio Daſſio Syndico eiuſd. Reipub. Fr. Lupercius de Guete S. Theolog. Magiſter, Ordinis Prædicatorum alumnus, & Conuentus Valentini infimus filius

S. P. D. in Domino.

EA EST omnium hominum animi ſententia, huius nobiliſsimę ciuitatis Patres Iurati, et clariſſimi Conſules, vobis primum omniũ debere conſecratum, atque dicatum iri quidquid ab optimis cuiuſuis ordinis ciuibus veſtris præclaræ ſtudioſitatis bonarum ſciẽtiarum, Diuinarum litterarum ſectatorib. in quorumuis ſtudioſiſsimorum virorum vtilitatem proferri in lucem, ad ſempiternum monu-

monumentum inſtituitur. Cum enim veſtra erga litteratos omnes tum beneuolentia, tum liberalitas eximia ſit, atque erga patriam acre mirum in modum ſtudium; merito omnes poſteritatis iuuandæ cupiditate accenſi, quod ex limpidiſsimis ſacrarum litterarum, et aliarum ſcientiarum fontibus hauſerunt, id totum veſtro perilluſtri, ſemperq. victuro nomini dicatum velint. Vos namq. inſita quadam a natura animis veſtris humanitate, ſic bonarum artium, honeſtarumq. diſciplinarum ſtudioſos liberalitate ſemper proſequimini, vt ea, et gratia veſtra ad excolendos optimis ſciētiis hominum animos vehementer excitentur. Et non ſolum his veſtris pietatis officiis, et litteratorum virorum laboribus honeſti adoleſcentes horum veſtigia perſecuti, pleno paſſu ad eandem laudem, gloriamq. contendunt; verum etiam viri grauiſsimi, et in veritatis cognitione ſatis præclari, ex eorum, quos veſtris donis, ac fauoribus proſequimini, monumentis, non mediocrem vtilitatem conſequuntur. Hinc factum eſt, vt Academia veſtra Valentina et pernobili ſtudioſorum frequentia, et doctiſsimorum hominum tanta copia floreat, quanta in nulla alia reperiri poſſe videatur. Iure igitur optimo, vos nobiliſsimi Patres, litterati fere omnes indulgentiſsimos patronos, Mæcenates

libera-

liberaliſsimos, diligentiſsimos Magiſtratus, vigilantiſsimos paſtores agnoſcunt. Atq. ea propter, merito quidem vigiliarum ſuarum, et ſtudiorum ſuorum fructus immortales, et ingeniorum ſuorum monumenta, multis elucubrata vigiliis, vobis ſoleant, ac debeant conſecrare. Id autem optima ratione: nam et gratos ita ſe, et memores acceptorum a vobis beneficiorum oſtendunt, et vobis omni iure debitum perſoluunt, et tutiſsimum ſibi portum, in quo feliciſsime conquieſcant, facile parant; et firmiſsimum præſidium contra inuidos, et detractores (ſi qui emerſerint) nanciſcuntur. Nec parum felicitatis, vigilantiſsimi Patres, hinc vobis comparari exiſtimetis; quorum laudi, et gloriç doctiſsimorū hominum ſtudia inſeruiunt; ad quam elucubrationes in omnem poſteritatem victuræ exornandam conferuntur. Quorum ego laudabili exemplo commotus, et veſtra ſumma, atque perpetua beneuolentia, necnon erga me liberalitate inuitatus: has meas in primum Geneſis caput lucubrationes, et Metaphraſticam expoſitionem ſub veſtro primum omnium nomine apparere inſtitui, ac volui: vt eo tāquam firmiſsimo clypeo munitæ, confidentius in lucem prodeant; et ex eis, ſi qui poſſunt, aliquos colligant fructus ſacroſanctę Theologiæ ſtudioſi: vos vero meæ erga humani-

tatem

tatem veſtram, ac liberalitatem, et in ſacras litteras, atque earum ſtudioſos amatores, obſeruantię, et pietatis argumentum præclarum habeatis. Voluiſſem plura, pro veſtris in me, et Dominicanam Religionem officiis, maiora, et digniora veſtris conſpectibus offerre. Sed vt ab ingenii mei tenuitate, imbecillitateq. virium ſperandum non videtur; ita quantum induſtria potero, quantum clariſsimorum, et ſacrorum Doctorum lectione, quantum pertinaci labore; tantum contendam vt efficiam, neve committam, vt veſtra merita in me vnum ampliſsima, in ingratum, et beneficiorum immemorem collata eſſe videantur. Etenim me Dominicana Religio, cui Valentiæ nomen dedi, ac deſtinaui, et totam meam fere vitam in Valentino cœnobio conſumpſi; atque eximia, et ſingularis mea in Valentinos homines charitas, animiq. propenſio, tam Valentinum fecerunt, ac ſi e Valentinis orto parentib. Valentiæ naſci, et educari contigiſſet. Quapropter, mirum nequaquam videbitur, ſi Valentino (quamquam Aragoniæ ortus) faueam nomini, atque de Valentiæ, illuſtriſſimæ ciuitatis, ciuium commodis aſsidue cogitem; ſemperq. id effecerim; quaſuisq. pro eis, etſi grauiſsimas moleſtias, laboresq. ſuſcipiam, ſicuti ſemper effeci. Vos autem, optimi patriæ Parentes,

pergi-

pergite, vt facitis; excitate ciuium litteratorum veſtrorum ſtudia, fouete eorum alacritatem, alite veſtra liberalitate vtiliſsimos doctorum conatus, illos amplectimini in quibus certa aliqua nobilis ingenii ſpes eluxerit: ſic namq. perſonæ a Republica impoſitæ, et ad honores euectæ tuebimini, et muneri veſtro ſatis dignitatem facietis. Sic eam Spartam, quam nacti eſtis, ornabitis; et Deo Opt. Max. qui tantis vos rebus præeſſe voluit, debitum obſequium præſtabitis; et eam gloriam, cui poſteri magis inuidere, quam parem ſibi poterunt quærere, conſequemini. Valete, et munuſculum hoc noſtrum, qua ſoletis benignitate, ſuſcipite; meq. vobis, veſtræq. nobiliſsimæ Reipublicæ, ac dilectiſsimæ filiæ, in perpetuum eſſe deuinctum exiſtimate. Dat. in cœnobio Prædicatorum Valentiæ, 20. die Aprilis 1589.

Fr. Lupercius Guete ſacræ Theologiæ Magiſter, et prouinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicator. alumnus, atq. Conuētus Valentini infimus filius; D. don Ioanni Frigola vtriuſq. Iuris Doctori præcipuo, ac Metropolitanæ Eccleſiæ Valentinæ Præcentori, et Canonico meritiſsimo; Salutem, et felicitatem plurimam optat in Domino.

POST longam, iugem, et multiplicem diſputationum Scholaſticæ Theologiæ curam, et exercitationem, variosq. tumultus, quibus ex officio mihi iniuncto quamplurimis annis dedi operam; Præcentor mihi numeris omnibus obſeruādiſſime, ad ſacram Scripturam, quātum mihi licitum, ac poſſibile fuit, animum aliquantulum meum transferendum curaui: ſi quo modo huiuſmodi adeo Theologis ſaluberrimo ſtudio, poſſem mentem meam ad meliorem vitæ frugem, ad maiorem animi quietem, ad iucundiores ſcientiæ fidei fructus capeſcendos perducere. In ea enim quidquid ad ſalutem quęri poteſt, facile tum virtutum, tum vitiorum, tum etiā inſignis potentiæ, et maieſtatis Dei (vt ſcite admonet D. Chryſoſt. ſuper Matt. cap. 22. homil. 41. operis imperfecti) manifeſtiſſimis exemplis, documentiſq. ſaluberrimis inuenitur. Quæ cum mecum ipſe ſæpenumero cogitarem, id omnium primum in mentem de ſacris Bibliis ad legendum, et intelligendum venit, quod omnium in ipſis eſt difficillimum. Eo enim ſum ingenio, vt ſemper quæ facilia ſunt, ſatis negligam: quæ vero obſtruſa, recondita, ac difficillima; in omni meorum ſtudiorum genere ma-

xima cum primis amplectar intelligendi, et perdiſcendi auiditate. Atque ea propter ante omnia ad legendum, ac probe ſi poſſem intelligẽdum primum Geneſis caput omnium ſanctarum Scripturarum difficillimum, abſtruſiſſimumque; quod miris, arcaniſq. ſenſibus ſit refertũ, atque grauiſſimis difficultatibus obuolutum; animum deſtinaui. Quod cum ſæpeſæpius legerem, ac intẽto animo perſpicerem; manuductus quidem ſanctorũ Patrum cõmentariis, tãquam ducib. meis, et anteſignanis, viſum mihi eſt huius capitis (quod ſummam totius noſtræ fidei, et religionis continet) aliquãtulam, eamq. (ni fallor) veram intelligẽtiam comparaſſe. Quo magnam prouinciam me fuiſſe adeptum, non ſolum ego, verum etiam omnes exiſtimabunt, propterea quod omnibus ſapientiſſimis Theologis ſemper in comperto fuerit, veram, et omnimodam, et inconcuſſam totius huius capitis, quo tota ſeries creationis omnium rerum continetur, intelligentiam quam pauciſſimos hactenus demõſtraſſe. Quod ſi ita eſt, vt plane S. Thom. fatetur, ac reliqui ſapientiſſimi ſcholaſtici ſemper exiſtimarunt: minime mirum eſſe debet, ſi ego mihi in Deo Opt. et Max. cuius nutu omnia diriguntur, aliquantulum gratuler; quo, Deo adiuuante, exiſtimem, me id quod dixeram fuiſſe aliquo modo cõſecutum. Verum cum omnibus maxime debeat eſſe curæ, vt de omni re propoſita, quoad fieri poſſit, pauciſſimis agant (gaudent enim, vt vulgo dicitur, breuitate moderni) ita tamen, vt dum breues eſſe velint, minime obſcuri fiant; et hiſtorica, ac litteralis intelligentia ſacræ Scripturæ, breuiſſime omnium, ac propriiſſime paraphraſticos explicetur; eamq. eſſe litteralem intelligentiam concedant omnes neceſſe ſit, quam ipſa metaphraſis oſtenderit: ideo relictis commentariis, atque aliis interpretandi modis ſacræ Scripturæ litteram, tamquam

fuſio-

fuſioribus,et longioribus;ad breuius,et magis preſſe educendum ſenſum litteralem, et hiſtoricum huius capitis, in quo magis quam credi poteſt,ſancti Patres,et Doctores antiqui laborauerunt; paraphraſticam expoſitionem ſum amplexatus. Paraphraſtem ergo, non Commentatorem huius capitis cum me conſtitutum vidiſſem, vel ſaltim factum optarem; ſcriptis mandaui quidquid hac interpretandi methodo eruere potui. Ceterum cum in ſcientia inuiſa, et theſauro abſcondito nulla ſit vtilitas, atque nullius boni ſine conſortio ſit iucunda poſſeſsio; oportuit has meas lucubrationes,hanc meam Paraphraſim huius hiſtoriæ creationis rerum, quam ex ſanctiſsimis Patribus, et ſacris Doctoribus collegeram; me primum tibi, qui ſemper bonarum litterarum ſectatores amore, et fauoribus es proſecutus; tamquam omnibus illis maxime præditus, veluti ſtudiorum meorũ primos honorabiles fructus, eosq. eidem tibi maxime omnium debitos; deinde vero communi Theologorum vtilitati typis mandare, et in lucem proferre. Accipe igitur Præcentor meritiſsime,ac mihi mirum in modum ſpectatiſſime, de meo pauperculo theſauro, ac tenui ſupellectili hæc duo æra minuta,quæ etſi minima pretio ſint,affectu tamẽ ſunt maxima.Atq. ita quemadmodũ apud pientiſſimum Deum tantum quiſque valet,quantum habet; et multum tribuit, qui nihil ſibi retinet: valere etiam iſta mea munuſcula apud te oportebit, ne dicam multum, verum etiam maximum, quandoquidem id totum ſunt quod habeo:et ſic multum me tibi offerre exiſtima,atq. tribuere,cum id omne tibi concedo,quod in lucem conſpectibus tuis dignum proferre poſſum. Sub tuo ergo nomine hec Paraphraſtica explicatio in totam narrationis ſeriem emanationis omnium rerum a Deo primo conditore,quidquid,et quantulacumq. illa ſit,in tui cum

primis, et noſtræ neceſsitudinis gratiam, e priuato nôſtri pectoris ſcrinio in publicum prodit. Et cum in rebus difficillimis benigne ſit excipiendus pius conatus; ea qua poſſum animi humilitate rogo, vt hanc meæ erga te beneuolentiæ ſignificationem ea ſuſcipias humanitate, eo amore, atque ea animi gratitudine, quibus ſtudioſorum virorum, ac præclariſsimarum ſcientiarum ſectatorum honeſtæ occupationes ſemper a viris tuo præclaro ingenio, tuis optimis moribus, et ingenua indole natis, ſuſcipi conſueuerunt; et quæ noſtræ mutuæ dilectionis iura ſibi vendicare maxime videntur. Et felix vale in Domino amicorum optime, cui me ipſum, omniaq. mea ſtudia, ac meos ſtudioſos conatus maxime eſſe curæ, et ſolicitudini exopto, ac ſemper cupio. Dat. Valentiæ in Cœnobio Prædicatorum, 12. Kalend. Septembr. 1588.

PRAEFATIO
ET INTRODVCTIO
perutilis,et admodum neceſſaria ad hanc metaphraſticam primi capitis Geneſeos expoſitionem,ad ſtudioſos lectores: qua præ-lecta non mediocrem huius Paraphraſeos ſibi intelligentiam comparabunt.

PRIMVM GENESIS CAPVT totius ſacræ Scripturæ, quam veluti canonicam recipit a Spiritu ſancto edocta, atque ſuis fidelibus tradit Eccleſia; principem eſſe,et initium,ac Chriſtianę Theologiæ firmiſſimum fundamentũ: conſtitutiſſimum proculdubio omnibus fidei catholicæ profeſſoribus eſſe debet. Cuius auctor,et totius Geneſeos libri,omnium cõſenſu abſolutiſſimus,ac per omnia laudatiſſimus Moſes fuit,Hebręus natione,patria Gethſemita,aut potius Rameſſita,de tribu Leui,magni Abrahę abnepos, et qui iuuenili,et ſenili ætate,memorabili exẽplo, fuit vtramq. fortunam ſæpenumero expertus. cum enim truculentiſſimus Pharao Rex Aegypti veritus ne Hebręi alienigenæ indigenas Aegyptios numero ſuperantes de principatu contenderent, in Hebræorum mares deſæuiſſet; parentes eum infantem Nilo fluuio fiſcella ſcirpea, velut ait Ioſephus de Antiquitat. cap.5. lectulo e papyro contexto,et bitumine illito incluſum, tempore quo Regis filia Thermuthis,vt aiunt Ioſephus,et Philo, nũcupata,in fluuium ad ſe lauandum deſcenderat,expoſuerunt: quæ ciſtam, et in ea vagientem infantem contemplata,

Autor Geneſis Moſes.

plorantis vicem condolens,cum ex aqua extrahere iuſsit; atque illi a rei euentu nomen imponens, Moiſen appellauit. Etſi cum fuit circunciſus,parentes nomen aliud indiderunt:ſiquidem Ioachimus, ſi Clementi 1.lib.ſtromatum ſubſcribimus,fuit nuncupatus. Hunc vero grandiuſculum factum illuſtris Thermuthis ſibi in filium adoptauit, et regio more educari, et inſtitui in regali palatio demãdauit: vnde in ſcientiis Aegyptiorum (quas permultas fuiſſe, maxime liberales,vt grauiſsimi [a] ſapientes nos docuerunt) et in Græcorum,et Aſſyriorum, vt ait Philo, diſciplinis doctiſſimus euaſit,atque etiam in dicendo diſertiſſimus. At vero cum oues Iethræ ſoceri ſui, ſacerdotisq. Madian, in deſerto aleret; quem locum aufugerat profugus quod quendam Aegyptium occidiſſet; de rubo abſque aliqua ſui cõbuſtione ardente,vocatur a Deo, atq. de ſuæ gẽtis liberatione a miſerabili ſeruitute Aegyptiorum inſtruitur: cumq. imbecilla hominis natura,atteſtante Origene homil.3.in Exodum,ſuſtinere Deum loquentem non poſſit, ſoleatq. humana eloquentia quando cum Deo agit,balbuties fieri,et infantia: ſtatim implicatæ, et impeditioris linguæ efficitur. Igitur cum ex illo Dei colloquio ex paſtore ſuæ gẽtis princeps, et ſeruator, atque dux euaſiſſet; confeſtim, veluti ſidus ſplendidiſſimum, ſplendore maximo, primum in Aethiopia, poſtmodum in Aegypto,prudentia,auctoritate,et rebus preclare geſtis, Aegyptios permultis, et inauditis antea modis percutiens,coruſcauit. Et cum adhuc eorũ Rex Pharao Dei voluntati pertinax reluctaret, hunc cum vniuerſis ipſius copiis, fluctibus Arabici ſinus, quem Scriptura ſacra mare rubrum appellat, penitus, cum ad Deum clamaſſet,obuoluit: et populum ſuum Hebræum per ſiccũ tranſuectum,et in optatiſſimam vindicatum libertatem,

tantæ

a Ita docent Plutarc. lib. de Iſide, & Oſiri; Iamblichus de myſteriis Aegyptior. Ariſt. in proemio Meta. Plato in Critia,et Timæo; et his omnibus anterior Herodotus in Euterpe.

tantæ ſuorum hoſtium cladis,et prodigioſi miraculi ſpectatorem mirum in modum fecit. Multis autem admiratione dignis, quæ ipſi, ac populo ſibi credito, in hoc itinere, tum etiam in peragrandis inuiis ſolitudinibus contigerunt; atque ab eo non ſine diuino numine ei fauente perpetrata ſunt, vti nos ſacra Exodi hiſtoria docet, omiſſis, cum in deſertum Sin perueniſſet, ad præclare inſtituẽdum populum ſibi traditum animum applicuit, Grammaticam [a] eos, qualem eo tempore homines habebant, primum omnium docens: cum in Votis nihil haberet recta religione antiquius, cum primum fuit edoctus a Deo in monte Sinai, diuinis legibus, quæ vniuerſas mundi, et humani generis nationes officii admonere poſſent, cum ad ſtudioſos mores, tum etiam ad fori cauſſas, omnium legiſlatorũ primus, ſuum Hebræum populum inſtituendum curauit: ac præterea pulcherrimis quibuſdam ritib. quibus verum Deum ſupplices, et humiles colere deberent, populo ſuo traditis; nullam tunc in orbe nationem eſſe admonuit, quæ cũ illis poſſet religioſo cultu, ſacrisq. cærimoniis comparari. Quinimmo omnia ſua inſtituta ab illo ſummo Principe Deo fuerunt accepta, atque illi ad regendum, et inſtituendum populum, quem vnice delegerat, demandata. Quæ quidem ſi populo Hebræorum curæ fuiſſent ad obſeruandũ, ſine vlla iniuria, omni euentu, rempublicam minime labefactatam habuiſſent: quin potius domi, et foris; pace, et bello; ſemper, ac iugiter incontaminatam poſſediſſent. Rurſum vir iſte perilluſtris, ſuæ gentis (quod eximie laudis ſemper eſt) ſummus Pontifex [b] fuit. Quamuis enim poſtea Aaronem fratrem ſuũ, et nepotem Elcazarum ad eandem dignitatem euexerit, et pariter fuerint ſacerdotes; Moſes tamẽ, ait Ambroſius, fuit principum princeps, et ſacerdotum ſacerdos, tamquã

[a] *Id aſſerit Eupolemus priſcus Doctor.*

[b] *Hæc eſt ſententia D. Aug. q. 23. ſuper Leuitic. & D. Leonis Papæ epiſt. 86. et D. Ambroſ. & D. Greg. Naziã. in oratione quã dixit præſente Grego. fratre Baſilii; et Philonis lib. 2.*

lingua Aaronis vtens,et opera. Solus enim Moſes tabernaculum erexit,ſolus vnxit altare,Aaronem ſolus conſecrauit,et ſacros ritus,vt diximus,ſolus ſanciuit. quæ omnia videntur eſſe munia magnorum antiſtitum.Vnde apud ipſum fuit perpetuo vtraq. ſumma poteſtas in ſpiritualibus, et [a] temporalibus. Non eſt autem ſilentio prætereundum,quod præclariſſimis viris D.Auguſtino,et D. Thomæ fuit in compertto, Moſen videlicet Diuinam eſſentiam vidiſſe, quamuis raptim, et per tranſennam. Id ipſum docet D.Baſilius:et in locis multis D.Cyrillus fuiſſe typum Domini docet.et Philo lib.3.aſſerit,cum moribundum de ſe ipſo prophetaſſe tamquam mortuo: ante obitum,ſcilicet,narrans ſe eſſe mortuum,et ſepultum:ne videlicet(vt ait Ioſephus ſubſcribēs Philoni)propter eius eminentem virtutem Iudæi a Deo raptum fuiſſe prædicarent.Anno autem ætatis ſuæ centeſimo vigeſimo viribus animi,et corporis integer,naturę cōceſſit.Et ſi Rabbi Samueli in paraſtaſi fidem damus,excitatus a Deo poſtmodum in vitam fuit,vocatusq. tunc Melchi, teſte Clemente Alexandr.lib.ſtromatum;et in cælum,hoc eſt,in paradiſum adductus,in quo habitauit Adam.qui quorūdam viuentium iuſtorum locus eſt,Enochi ſcilicet,et Heliæ;qui,vt ſacra Scriptura docet,in eum fuerunt tranſlati. Ne igitur lucernas, ſeu potius faces accenſas,in meridiano ſole, nos qui fidei lumine illuſtrati ſumus, ad viri huius eminentiam explicādam quæramus; ſplendidiſſimas ſacras Scripturas inſpiciamus,videlicet Exod.33.Num.12. Deuteron.14.Eccleſiaſtici 45. quæ illum nobis maximopere commendant, et exornant. Huius ergo libri Geneſeos, et eorum quattuor,qui proxime in ſacris Biblijs ſequuntur,hic auctor eſt,non quidem ab Aegyptiorum fabulis edoctus,vt Iulianus impudenter apud Cyrillū lib.2. et Sim-

[a] Ita docent Duran.de origine iuris,et Paulo l.b.3.

Quantum interſit inter Moſen, & ethnicos legum latores in ſuis proponendis, confirmandisq. legibus, vide apud Hieronym. Vielmiū lib. de ſex dieb. cōditi orb. lec.1. pag.4.

et Simplicius 8. Phyſicor. calumniantur. Etſi enim adoleſcens illas, vt reliqua Aegyptiorum inſtituta didiciſſet; in his tamen ſacris monumentis eas omnes profundiſſimo ſilentio inuoluit: ea dumtaxat ſcribens, quæ partim viderat, et quorum magna pars, externo Angelorum miniſterio, Deus illi reuelarat: et forte ſpectris, et imaginib. etiam intellectui eius, et phantaſiæ impreſsis, quæ illi res alioquin abditas aperirent: vel (vt alii volunt) notitia quadam actuali, et tandem partim quæ a progenitoribus ſerio inſtitutus perdidicerat. Mihi enim admodum incertum eſt quod quidam exiſtimant, Moſis ætate apud Hebræos cũctam Dei religionem, quam Abraham, ac ceteri Patriarchæ ſummo ſtudio obſeruarunt, atque filios, et nepotes docuerant, extinctam prorſus fuiſſe; nec quidquam pactorum quæ Deus cum Patribus inierat, illos a morte Ioſeph, et aliorum Patriarcharum retinuiſſe. Et tandem eorum quę Moſes in iis libris de Deo, de mundo, et de ſuis, ac ſui populi atauis; quidquã etiam nec literis cõſignatũ, nec per manus a Patribus receptum, et integra fide cuſtoditum habuiſſe: hæc, inquam, minime vera eſſe credo. Non enim tantum temporis inter obitum filiorum Iacob, qui cum eo in Aegyptum deſcenderant; et Moſen intercesſit (minus enim fuit quam tercentorum annorũ) vt potuerit vniuerſa religio oblitterari. Adde etiam, quia ex Hebræorum monumentis, vt refert in ſua Chronologia Genebrardus libro primo, pagina 64. quantum ad auitam religionem, Hebræi in Aegypto eam licet fere omnes ex Aegyptiorum contubernio edidicerint; ſtirps tamen ſola Leui eam ſtudioſe tenuit: et Leui inter omnes ſuos fratres diutius omnibus vixit, videlicet centum triginta ſeptem annis: ſicuti Ioſeph minor reſiquis vita fuit, videlicet centum decem annis viuens. In tam diu-

turna tamen peregrinatione, et exilio, præter dictam religionem, tria Iudæi conſtantiſſime retinuerunt; linguam Hebraicam, habitum ſuæ gentis, et nomina. Quamobrem (vt ad inſtitutum reuertamur) plura potuit Moſes in his libris ſcripta relinquere, quæ ſibi, et aliis, ſuorum maiorum traditione fuerunt commendata. Ita tamen, quod in tantis ſcribendis myſteriis a ſancto Spiritu ductus, numquam a vero diffluxerit, nec mente, memoria, aut manu lapſus fuit: adeo vt nec iota vnum, vel vnum apicem prætererit. Quod de eo, et reliquis ſanctorum voluminum, et ſcripturæ canonicæ ſcriptoribus perpetuo, et conſtanter credit Eccleſia catholica: cuius auctoritas, vt D. Petrus ſecundæ Canonicæ ſuæ cap. 1. et D. Paulus 2. ad Timoth. cap. 4. docuerunt, auguſta eſt, et ſacroſancta. Inter ſacros tamen ſcriptores Moſes præ ceteris Teſtamenti veteris auctorib. maiori fuit luce perfuſus, vt ſcite docet S. Thom. 2. 2. q. 174. art. 4. et ibi Caietanus refellens argumentum Lyrani concedentis Dauidi in vniuerſum hanc prærogatiuam. Sed a Moſe ſtant ſplendidiſſima teſtimonia ſacræ Scripturæ, Numer. 12. verſib. 6. 7. 8. 9. et Deuteronom. 34. verſib. 10. 11. 12. Etſi enim vno, eodemq. Spiritus ſancti lumine omnes ſacri ſcriptores, ſiue Legem, ſiue Prophetiam, ſiue Agiographiam egerint, fuerint illuſtrati; vnus tamen abundantius alio: ac præ ceteris affluentius, et copioſe magis Moſen credimus. D. autem Baſilio teſte octogenarius fuit quando Deum vidit, et noſtræ religionis magiſter primus futurus præparatus fuit, et eduxit ex Aegypto Hebræos, vt Exodi 7. ſcribitur. Eandem ſententiam ſequitur Iuſtinus Martyr in Admonitorio. Hæc autem contigerunt, ſecundum ſententiam Hebræorum, et D. Hieronymi, anno 2055. ab orbe con-

dito. Ex quo intelligimus Moſis voluminum antiquitatem: atque verum eſſe cognoſcimus, Philoſophos ex huius ſcriptis ſubripuiſſe quidquid illis ſapientiæ inhæret: ſicuti etiam ex reliquis Philoſophis, qui Moſen ſecuti ſunt. Qui etiam anteceſſit [a] multo tempore Barbaros, Græcos, et Latinos ſcriptores: quorum libri nunc exſtant apud nos: niſi forte ſanctiſſimum Iob; ſi tamen hic ipſe fuit eius voluminis auctor: Moſes vero ex Arabico traductor, et non auctor, vt alii volunt, inter quos eſt Origenes. Igitur, vt auctor libri de mirabilibus ſacræ Scripturæ docet, Moſes tranſegit quadraginta annos in domo Pharaonis: fuit autem exul in domo Iethræ ſacerdotis Madian aliis quadraginta annis: functus vero fuit munere ducis populi Hebræorum in deſerto aliis quadraginta annis: ac tandem ætatis ſuæ anno centeſimo vigeſimo e vita migrauit. Si autem a me quiſquam fuerit percontatus, huius diuini auctoris in his ſuis Pentateuchi voluminibus ſcopum, et argumentum; dicam ſane, egregiam hanc eſſe percontationem, et propemodum neceſſariam ad rectam intelligentiam, et facilem explicationem comparandam eorum, quæ in eis diuinus Vates docere inſtituit. Proinde dico, ſcopum, et argumentum eius eſſe, explicare (quamuis obſcure, propter impios homines, et infideles) Deum Patrem ab initio orbis conditi decreuiſſe Filium ſuum vnigenitum ſtatuto a ſe tempore hominem fieri, vt hominum eſſet Redemptor, Dominus, et Magiſter. Et ideo illi iuſſiſſe, vt Hebræos, quos in populum ſibi dilectum peculiariter vocauerat, vt ex eis naſceretur, acceptis ab eo legibus, et cærimoniis, ita præpararet; vt reuerenter, et amanter illum reciperent, ei fidem firmam præſtarent, in eum inconcuſſe crederent, et ſperarent. Namque Dominus

[a] Ita docent Iuſtinus Martyr in Admonitorio, Clemẽs Alexandri. lib. 1. ſtromat. Tatianus in Oratione cõtra Græcos, Theophilus lib. 2. ad Autholicũ, D. Baſil. D. Cyrillus lib. 1. contra Iulianum.

indutus humana carne, vocaturus primo Iſraelem veniebat; et poſt eius perfidiam, aliarum gentium nationes, vt dicitur Matthæi 15. Actorum 13. Quod reuera Chriſtus Ioann. 13. Iudæos alloquens, oratione grandiori, quam vt communiter exiſtimatur, explicauit. Si Moſi (inquit) crederetis, vtique crederetis et mihi: ille enim de me ſcripſit. Quaſi diceret, Non obiter, et perfunctorie ſcripſit de me, ſicut de multis rebus; ſed ex præcipuo inſtituto in ſuis voluminibus de me ſcripſit. tanti enim fecit Chriſtum Dominum, vt maiores diuitias æſtimauerit eius pati improperium; quam theſauros Aegyptiorum: teſte Apoſtolo Hebræor. 2. Quod D. Ambroſius apertioribus verbis explicans in Pſal. 118. ſermone 8. ita inquit: Moſes noluit eſſe Rex cum poſſet, ſed opprobrium Chriſti theſauris Aegyptiorum arbitratus eſt præferendum: ſed fugiendo potentiam, potentior factus eſt; factus enim eſt in Deum Regi Pharaoni. Rex erat Pharao, ſed Deus non erat: Moſes eſt illi Deus, hoc eſt, Regi Aegypti terribilis, quem vt Deũ metueret, et timeret. hæc ille. Quapropter minime omnes Adæ filiorum proſapias ſcripſit: ſed primũ, et quaſi obiter poſteritatem Caim vſq. ad Lamech, qui eum interfecit. nec ſine arcana ratione. deinde quam diligentiſſime genealogiam vnius Seth, alias autẽ omittendo: non quod pęne eſſent innumeræ, vt reuera fuerũt, ſed tamquam a propoſito ſuo inſtituto quod eſſent prorſus alienæ. Quia videlicet ex vno Seth Chriſtum Dominum, non autem ex aliis Adæ filiis procreandum fore, Deo ſibi reuelante cognoſceret: et quem ad conterendũ caput ſerpentis fuiſſe promiſſum intelligeret. Atq. proinde operępretium ſibi fore exiſtimauit, alios Adæ filios, ac eorum poſteritates ſubticere: eosq. tantummodo recenſere, ex quibus erat Chriſtus naſciturus. Non enim rationi

cõſen-

cõſentaneum eſt, primum parẽtem a morte Abel tãdiu a filiis procreãdis abſtinuiſſe, donec Seth ipſum progenuiſſet; centũ namq. et triginta annos narrat Scriptura trãſiſſe: quo tempore alios filios, et filias eum genuiſſe, credendum puto, anteriores ipſi Seth. Tantundẽ etiam iudicare oportet de aliis priſcis parentib. Seth videlicet, Enos, Cainan, et aliis Chriſti genealogiæ patrib. quos Scriptura ſacra, Geneſis ſcilicet, narrat cẽtenarios, et vltra fuiſſe, quando hos genuerant Chriſti patres: de quibus omnib. Scriptura narrat, etiam genuiſſe filios, et filias. quorum nòmina, quod ad ſuum inſtitutum nihil efficerent, ſubticendo Moſes pertrãſiuit: eo quod eorum dumtaxat, qui Chriſti genitores eſſent futuri, nomina inſtituiſſet recenſere. Etiã ob eandem rationem, cum poſtmodum Geneſis 10. et 11. filiorum Noe, Cham, et Iapheth genealogiam aliquantulum attigiſſet; ſtatim ad filios, et nèpotes Sem recẽſendos ſe vertit: et eorum poſteros vſq. ad Abrahamum de nomine ſigillatim euocat. Cuius Abrahami geſta copioſiſſime, et mores ſcribit; nõ ob aliud, niſi quia Deus illi aperte Chriſtum ex eius ſemine pollicitus eſſet, dicendo: In ſemine tuo et c. Atq. huius ordinis rationem in filiis, ac nepotibus ſubſequentium Patriarcharum ceterorum recenſendis penitus noſtrum Vatem ſeruaſſe, non ſine diuino numine, manifeſtũ fiet eius hæc volumina legentib. ne diutius in re tam manifeſta in noſtra Theologia mediocriter inſtructis, immoremur. Quapropter dicamus oportet, Moſen in hac Pentateuchi cæleſti doctrina hæc præcipue capita breui ſermone ex proprio inſtituto nobis explicare: videlicet infelicem euentum excidii noſtri generis a ſalute; et proinde cauſſam memoriæ dignã, cur cęleſtis Pater miſericordia motus, Verbum et Filium ſuũ vnigenitum, ſibiq. per omnia coæquálem, nobis Saluato-

Quæ ſint præcipua capita, quæ Moſes in ſui Pentateuchi doctrina inſtituit explicare, hic inſpice diligentiſſima cura.

a v rem

rem deſtinauerit. Deinde, quos voluerit eius ab initio mũdi ſecundum carnem eſſe progenitores: et quibus eorum filiis eum promiſerit. Tum etiam, qua ratione eorum geſtis, et actib. tamquam imaginibus eius quibuſdam (etſi eminus, et quaſi aliud agens) ipſum depinxerit. Ac tandẽ prætereca, quot et qualibus fraudibus, et inſidiis antiquus ſerpens hoc de nobis conſilium Dei, per Chriſtum Dominum; ſæpenumero conatus fuerit tollere e medio, ac penitus ſtatim ab orbis initio demoliri, tunc primum homines ad peccata incitando: vt ita iniuriis noſtris Deum infenſum, et irritatum aduerſum nos ad iracundiam concitaret, vt ea ratione pientiſſimum inſtitutum erga nos omnino reuocaret: quo ipſe Deus minime noſtram naturam aſſumeret, et a ſua promiſſione omnino deficeret. Quibus quattuor ſummariis capitib. totus liber Geneſis abſoluitur; et in hoc argumento, et ſcopo explicando totus eſt Moſes occupatus. Quod tam perilluſtri ingenio, admirabili, et ſubtiliſſimo artificio, talibusq. in docendo viribus proſequitur; vt omnem humanum intellectum in admirationem rapiat, ſi diuiniſſimam methodum, qua in aperienda hominis ruinę, ac neceſſitatis redemptionis cauſſa vſus fuerit, contempletur. Inobedientiam namq. primi parentis aduerſus Deum cauſſam commemorat, vt Roma. 5. refert Paulus. Etſi enim aliæ permultæ cauſſæ ſint, cur filius Dei fuerit factus homo; non tamen teſtimonio ſacræ Scripturæ manifeſto intelliguntur: ſed potius vel quadã cõſecutione, vel peccati Adę ſuppoſitione. Quare Moſes maxime inſtituit docere, inobedientiam illam non leue, vti quidam putant, ſed adeo graue, ac deteſtatione maxima dignum fuiſſe peccatum, quod hominis iudicium ſuperet; vt D. Auguſtinus docet libr. 2. de nuptiis et concupiſcentia: et quod plures habuerit pudendorum

Hæc fuſius proſequitur Rupertus Abbas de victoria verbi Dei.

Admirabile in docendo Moſis artificium.

dorum ſcelerum comites circunſtantias, vt idem in Enchiridio ſcribit. atque adeo, vt Adamum, et totam eius ſobolem a felicitate maxime ſupernaturali extorres fecerit, et in diaboli cõieccerit ſeruitutem. Vt inde nos admonitos redderet, protoparentem noſtrum, nosq. in eo, omnibus modis maxime indigere filio Dei carne noſtra induto Redemptore: qui nos et Deo Patri reconciliaret, et in priſtinam eius amicitiam, et libertatem reſtitueret; et in cæleſtem patriam, occluſam propter peccatum, ſuo ſanguine, et morte (niſi vellet ſuæ iuſtitiæ deeſſe, et vane conſtituiſſe omnes filios hominum) nobis triumphator æternitatis aditum deuicta morte reſeraret. Quo factum fuit, necdum Moſen, verum etiam reliquos omnes ſanctiſſimos Patriarchas, atq. Prophetas totis animi ſui precordiis eius ſanguinem expetiuiſſe: vnde veriſſime procul omni dubio Apocal. 13. Chriſtus dictus fuit, Agnus occiſus ab origine mundi. Nullus etenim hominum pro Adæ peccato poterat Deo ſoluere, atque ad æqualitatem pœnas luere, ſeu de iuſtitię rigore illi ſatisfacere; vt S. Tho. 3. par. et 3. Sententi. inſigniores Theologi docuerunt. Nec infimæ claſſis methodo, quin potius incomparabili, hæc omnia Moſes proſequitur. Auſpicatur namq. primum a beneficiorum magnitudine, quæ Adæ initio a Deo ſunt conceſſa. Quæ tum externa, tum interna fuiſſe oſtendit. Illorum autem tria tantummodo ceteris præſtantiora proſequitur: videlicet, totius creaturarum corporalium vniuerſitatis conſtitutionem, non niſi hominis gratia a Deo perpetratam; vt ſcilicet ei omnia, et ſingula prodeſſent, ac de omnibus ſtudioſam caperet voluptatem. Solus enim homo ſuſpicit cælum, aſtra, ac opera Dei admiratur: atque ſolus terram colit, ex ea fructum capit: mare ſolus nauigat: et piſces, et quadrupedes, et volatilia

ſolus

ſolus ipſe in poteſtatem [a] habet. deinde hominem cunctorum animalium dominum, ac principem, magnificentius quam dici poſſet, docet Opificem conſtituiſſe. Nec id ſolum, ſed etiam cum gloria et honore coronaſſe, ac ſuper opera manuum ſuarum conſtituiſſe, et omnia ſubieciſſe ſub pedibus eius, eleganter explicat. Præterea tandem, compinxiſſe locum amœniſſimum, in quem Adamum confeſtim a ſua creatione, tamquam in propriam regiam, vt mira quadam beatitudine aliquantulum habitaret, transferendum curauit. Interna vero, cum plurima fuerint, ac maiora, quam vt poſſent ſigillatim enumerari (facta enim fuit a Deo noſtra natura omnis boni particeps) vno tamen veluti face omnia compleꝺens; grandi quadam oratione, qua ingentes theſauros Deum homini conceſſiſſe inſinuaret, dixit, Deum feciſſe hominem ad imaginem, et ſimilitudinem ſuam; omnis videlicet (vt dixi) boni participem. Quo quoſdam puderet aſſerere, Adamum ita tunc temporis ſimplicem fuiſſe, ſicuti ſunt pueri, qui omnino ignorant, in quem vſum natura eis membra tribuerit. Quorum ſententia, hac opificis Dei oratione, atque aliis locis ſacræ Scripturæ falſa eſſe comprobatur. Atque hac eadem, veluti quadam conſecutione, ingentem fuiſſe hominis ingratitudinem Moſes demonſtrat: quod cum tot a Deo ſuſceperit beneficia, Principis Dei mandatis noluerit obedire. Maxime, cum de re tam facili mandatum illi fuerit iniunctum; ne videlicet de pomis cuiuſdam arboris ederet: cum de reliquarum omnium fructibus, quæ erant in paradiſo, edendi licentia fuerit ei conceſſa. Quo factum fuit, vt nemo hominum ſiet, qui Adamum non [b] reprehendat: probe enim ſciebat, præceptum iniunctum ſibi a Deo, eo ſpectaſſe, vt debi-

[a] *Hæc omnia ſacræ Scripturæ aperte teſtantur; & qui ea nō videt, vt ait Lactantius in Epitomate cap. 10. parū diſtat a pecude.*

[b] *Hinc S. Philoxenus apud Barcepham part. 1. cap. 22. in Adamum incandeſcit.*

vt debitam conditori obedientiam, et ſubiectionem recognoſceret, et præſtaret. Nec carnis illecebris, ſeu iniuriis infeſtabatur, vti nos tangimur, ac ſæpiſſime ſuccumbimus: quin potius iucundiſſime Dei mandatis obtemperare poterat. et præterea certior factus fuit, Deum, niſi mandatum eius obſeruaret, grauiſſimam pœnam ei fuiſſe comminatum, mortem videlicet; qua innumera mala, eaq. grauiſſima complexus fuit: et cum primis omnium grauiſſimum, videlicet amiſſionem gratiæ, quæ animæ noſtræ vera vita, et ſalus eſt: perpetuam etiam, ac perennem carnis cum ſpiritu pugnam, quę veluti putidus fons ceteris omnibus peccatis manauit: ac præterea corporis imbecillitates, ægritudines, et diſſolutiones, atq. reliquas huius vitæ ærumnas, et calamitates; quas imprudens protoparens ille noſter in ſe, et totum genus noſtrum peccando inuexit. Vt iis omnibus, veluti apertiſsimis rationibus, in nobis Moſes ſuum inſtitutũ perſuaſum habeat: videlicet, iure optimo fuiſſe Adamum a Deo e paradiſo eiectum, et donis permultis, maxime iure fruendę perpetuæ, ac ſupernaturalis felicitatis, ad quam poſsidendam fuerat conditus, ſua culpa priuatum, ac miſere expoliatũ. vt cum homines hæc omnia ex prælectione huius libri fuiſſent aſſecuti, conſequenter luce clarius intelligerent noſtri generis calamitoſam infelicitatem: et propterea magnopere humanum genus Saluatore, et Redemptore indigere. Quæ ſane apertiora ſunt in noſtro Propheta, quam vt maiori explicatione cuiuis, niſi animo craſſo, et ad contemplandum minus idoneo explicari debeant. ſicut illud etiã eſt, Deum propter nimiam caritatem ſuã, qua dilexit nos, mundo Chriſtum Dominum prouidiſſe, quando cõmemorat, eum cum Adamum in fragranti delicto comprehendit, promiſiſſe ſemen mulieris, quod

caput

caput ſerpentis aliquando contereret. Quæ quidem promiſſio illuſtre quoddam fuit euangelium, quo primos noſtros parentes, tunc ira Dei concuſſos, et tremefactos, denuo veluti refecit, et in ſalutis ſpem erexit: et fideles omnes, qui tantum Redemptorem ſubſecuturi erant, vti nos ſumus, maxime erga Deum afficeret, et ad gratiarum actionem mirifice excitaret. Rurſum autē, quales in docendo vires habuerit Propheta noſter, oſtēdit in reſiduo voluminis; eo ſolum intentus, vt manifeſtiſſimis exēplis demonſtret, Deum pœnas quas Adæ, et nobis in illo, ante quam peccaret, comminatus fuerat, atque ſtatim a peccato lata ſententia inflixerat; deinceps perpetuo a ſingulis hominibus exegiſſe. Quo ſpectant tam crebræ repetitiones: Vixit Adam nongentis et triginta annis, et mortuus eſt: et Seth nongentis et duodecim, et mortuus eſt: poſteri ſigillatim tot annis, et mortui ſunt. Quas ideo ſcribit, vt explicet Deum numquam defuiſſe verbo, ac ſententiæ ſuæ; atque veracem perpetuo exſtitiſſe. Nec non etiam inde, etſi parum obſcure, nos certiores redderet, illum multo minus ſuę promiſsioni defuturum de illo Saluatore mittendo, qui noſtras contra ſerpentem venenoſas iniurias vlciſceretur: et ideo ſemper homines ab illo fide, ſpe, et caritate certiſsime penderent. Nemo enim noſtri generis vmquam ſibi perſuaſit, Deum magis futurum conſtantem in exigendis ab homine pro culpis ſuppliciis, quam in beneficiis pro ſua erga nos bonitate pręſtandis: maxime hoc eximio, atque tantopere neceſſario nobis promiſſo, de conterendo ſerpentis capite a ſemine mulieris. Et propterea deinde tam crebro et conſtanter mundo id fuit pollicitus. Atque huc tota fere huius voluminis ſeries ſpectat. Quam aſſecuti Prophetæ, et alii ſacri ſcriptores, ideo accuratiſsime docuerunt, Deum ſemper

Quales habuit Moſes in docendo vires.

fuiſſe

fuiſſe fidum, ac veracem in promiſsionibus perſoluẽdis: at vero in exequendis ſuis in homines comminationib. non ſemel ſentẽtiam mutaſſe. vt patet Hierem. 18. Ion. 3. et diſerte ſane Roman. 3. et 9. et Auguſt. de ciuitat. lib. 14. cap. 2. et lib. 15. cap. 25. et Hieronymus in Hieremiam cap. 18. et in Eſaiam cap. 38. Quæ omnia adeo integra fide, ordine egregio, ſummáq. enarrat Moſes diligentia, atque in ſuis voluminibus ſcribit, vt oculis veluti ſubiiciat: et præterea priſcorum exemplis, tamquam quibuſdam experimentis, et alieno periculo, in tranſigendis publicis, priuatisq. humanis officiis, legentium animos prudentes efficiat. Eſt enim hiſtoria magiſtra vitæ, et teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, nuntia vetuſtatis. Et cum hoc fuerit illi commune cum prophanis aliquot ſcriptorib. aliud quid magni in eo ſuſpicimus, veneramur, et admiramur: videlicet, quod non hominũ modo, verum etiam Dei Opt. Max. (cuius quæ ſunt, nemo cognouit niſi eius ſpiritus. 1. Corin. 2.) res geſtas, conſilia, voluntatem ita accurate exponit, ac ſi rebus illis gerẽdis interfuiſſet, ac percepiſſet in integrum eius conſilia, et voluntatem. Quæ certe omnia, niſi ab eo edoctus fuiſſet, non ſolum comprehendere, verum etiam nec potuiſſet cogitare. Quamobrem, vt ſumma conſenſione fatemur, a Deo ipſum do cẽte hæc omnia illum didiciſſe: ita quoque omnes quotquot de mundi opificio poſt eum ſcripſerunt Philoſophi, videlicet Locrus, Timæus, Plato, et alii; quamuis frigide, et in multis a veritate alieni; nõ dubitamus eos omnes eius lectione fuiſſe vbi vera ſcribunt, edoctos. hoc inquam admirandum in eo, et omni laude maius prædicãdum. Quid, quod Dei opera ſcribit, non modo quæ egerat, videlicet mundi creationem, pacta cum patribus inita, et ſimilia; ſed et quæ perenniter, et ſemper agit. Quo

Optima deſcriptio hiſtoriæ, ex Cicer. 2. de Oratore.

modo

modo ſua mira prouidentia moderatur orbem a ſe conditum, et gubernat: atque ea quæ iam indutus carne, cum ipſe erat facturus, tum eius myſticum corpus, quod eſt Eccleſia. Et hæc quidem partim patenter, partim obſcure: omnia enim Patrum geſtis, tamquam tegumētis operuit; vt ideo firma fide certiores conſtituamur, hæc eius præclara monumenta non ſolum a Deo prodiiſſe, et teſtatam nobis facere voluntatem eius, qua bene, beateque ſemper viuamus: ſed quoq. rebus diuinis, arcaniſq. cæleſtibus non tam eſſe aſperſa, quam omniquaq. referta. Ex quibus omnib. id cunctis eruditis, ac piis hominibus manifeſtum fit, huius libri Theologiam iucundiſſimam, frugiferam, ac ſaluberrimam eſſe; et tanta rerum magnitudine ornatam, vt omnem humanam cogitationem, et intelligentiam ſuperare videatur. Qui liber tum a Græcis, tum a nobis Geneſis appellatur; quod de totius mundi, et omnium rerum in eo contentarum ortu, et maxime primis tribus capitib. ac de hominis formatione pertractat. Cum autem Hebræi ſuos libros ſoleant inſcribere vel a ſubiecta materia de qua fit ſermo; vt libros Regum vocant, Malachim, quod verba faciant de Regibus Hebræorum: vel ab eorum auctoribus, quod ſolum a Salomonis tempore facere conſueuerunt (vt quidam autumant) quo pacto libri Prophetarum, Eſaiæ, Ieremiæ, et c. a propriis auctoribus nuncupātur: vel poſtremo a primis librorum dictionibus, a quibus incipiunt; ideo hoc tertio modo librum hunc nuncupantes, Bereſith, appellant: quod iſtæ dictiones eius prima vox ſint, quæ idem valēt, quod In principio. Ita adnotauit Hieronymus in quæſtionibus Hebræorum. Tanta tamen obſcuritate hoc primum Geneſis caput, cuius nos paraphraſim minime cōciſam et breuem, ſed pro exigentia ipſius abūdantiſſimæ

Inſcriptio libri Geneſis.

Obſcuritas primi capitis Geneſeos.

intel-

intelligentiæ, fuſiorem, et longiuſculam aliquantulum texere decreuimus, vndiq. obuolutum eſt: (cui ſatis duo quę immediate ſequuntur capita, videlicet ſecundum, et tertium, in eadem obſcuritate non parum aſſimilantur) vt præſtantiſſimi viri, et Patres grauiſſimi in eo explicando, non ſolũ in finiendis controuerſiis, remorati fuerint, verum in aſſequenda rerum, et vocum intelligentia, mirum in modũ fuerint defatigati: et ob eã ipſam cauſſam priſci Synagogæ Patres, et Rabbini, publica lege cautum indixerunt, ne quis ante quam annum triceſimum compleuiſſet, hęc tria priora Geneſis capita attingeret, et legeret: vt docet D. Hieron. in Præfatione in Ezechielem, et alibi. Et merito ſane, quia recentior adoleſcentiæ flos ſolet firmo, et conſtanti iudicio deſtitui; ac ideo multa inaniter ſæpe fundere. et ſolent iuuenes frequentius præclaris carere diſciplinis; ſine quibus minime pro dignitate res ſublimes tractari poſſunt: atq. etiam ſolent, tamquam moræ impatientes, præcipites ſententiam dicere. Quod ſicut vbique periculoſum eſt, et temeritatis inſigne; ita in rebus diuinis deteſtabile, ac maxime pernicioſum. Et ita Moſes cum in his capitibus, maxime primo, loquitur; in mõtis vertice poſitus, ac totus in caligine, omnium conſenſione eſt obuolutus. Atque ſi aliquando deſcendere, et cum populo ſermonem habere videatur; proculdubio faciem velatam habere crediderim, quam ſolus Spiritus ſanctus reuelare, et reconditum verborum illius ſenſum aperire potuerit. Etenim huiuſcemodi res auguſtiſſimas, et illuſtriſſimas, ac peracutiſſimis quibuſq. ingeniis mirũ in modum reconditas, adeo preſſus, et breuis pertractat; vt omnibus ſegetem copioſiſſimam metendam relinquere videatur. Quo factum putãt grauiſſimi viri, vnum Mercurium Triſmegiſtum, ex Moſis cum primis docu-

mentis, viginti millia volumina (tot enim de principiis ſcripſit, teſte Iamblicho ex Seleuco) potuiſſe conficere. In Pimandro enim, et in Aſclepio Moſen vbique fere teſtatur, et quandoque explicat latius. Quæ omnia tanto magis me in ſuſcepto inſtituto vigilãtiſſimum fore, non mediocriter deuincunt, ac omnis laboris impatientem: quanto amplius Spiritus ſancti auxilio indigere plus omnibus perpendo. Præterquam, quod rerum magnitudo, quæ hic ſcribuntur, id omne expoſtulat. Sunt enim hæc totius noſtræ Theologiæ principia, a quibus, veluti ex limpidiſſimo fonte, videtur tota in Eccleſiam ſcaturire. Circa initia autem, quantum fieri poteſt, diligentius inuigilandũ eſt, vt nos iam dudum Plato in Cratylo docuit: quod error in illis commiſſus fœcũdiſſimus ſit, et in immenſum deinceps creſcat. Atq. ideo mihi fore maxime operæpretium puto, talem hac in re nauare operam, vt ſi non quantam, et qualem argumenti ſuſcepti dignitas expoſtulat; (id enim mihi tantillo ingenio prædito proculdubio impoſſibile exiſtimo) nihilominus tamen, pro ingenii mei tenuitate, atque pro viribus exiguis meis, eam, quam potero, omni ſedulitate, in ſingulis accurate paraphraſticos explicandis, et perpendendis; auxilio fretus diuino, preſtabo. Cum enim huius diuini Vatis monũmenta a Deo prodierint, et eius voluntatem nobis teſtentur, qua nos ſtudioſe, et beate viuere ſemper voluit: quamplurima, atque recondita continent myſteria; et rebus diuinis, arcanisq. et cæleſtib. myſteriis ſunt aſperſa, et vndiq. referta. Quamobrem viri docti, et pii, indies ex iſtius voluminib. ſolent ſicuti gemmas ex conchis proferre. Cuius rei nos iam Orige. in Leuit. homil. 1. D. Auguſt. lib. 15. de Ciuit. Dei, et alibi; et D. Paul. Rom. 15. 1. Corinth. 10. 2. Timoth. 3. admonitos reddiderunt. Quare nullus integram

gram Moſis mentem, et omnes intelligentias tunc aſſecutum ſe eſſe exiſtimet, cum vnum ſenſum externum, videlicet hiſtoricum, ſatis etiam probe intellexerit: cum diligentius oporteat, etiam ſpiritualem a Patribus quibuſdam grauiſſimis in allegoricum, anagogicum, et moralem partitum, omni cura indagare; inuentumq. aperte diſponere, ordine ſane debito, et iudicio. hiſtoricus enim ſeu litteralis primum obtinet locum, et eſt tãquam corpus, et veluti ſedes ſenſus interni. Quare Theologum interpretem oportebit primum in eo conſequendo elaborare, et pro virili incumbere: ita vt ante omnia pure, et luculenter verba, atque ſententias ſacræ Scripturæ explicet: et litteram ſic explicatam vbique omnium primum ſeruet; vt recte nos docuit Auguſtinus lib. 8. de Geneſi ad litteram: niſi litterę contextus ex hoc ad manifeſtiſſimos errores, vel ad tropos inuito pertrahat. tunc enim hiſtorica, ſeu litteralis intelligẽtia erit figurata, ſeu parabolica. Et quia Origenes frequẽter neglexit hunc canonẽ, detorquendo litteram ad parabolas, et peregrinos ſenſus; merito a recentioribus ſæpe reprehenditur. Atque aliquando eadem pœna multãdum, grauiſſimi viri cenſuerunt, Cardinalem Caietanum, noſtri ordinis S. Dominici profeſſorem alioquin doctiſſimum, et fidiſsimum Eccleſiæ Doctorem: qui id ipſum non ſemel in ſuis commentariis committit. Igitur ante omnia hiſtoricus ſenſus, ac litteralis pro viribus inquirendus; et vbique litteræ integritas conſtantiſsime retinenda, prius quam parabolicum aggrediamur: alias minime muros immobiles in ſanctarum Scripturarum interpretationib. erigere valebimus. Et quamuis verum ſit quod D. Hieronymus docet epiſt. ad Magnum, vt refert Gratianus diſt. 9. et contra Eluidiũ, et in epiſt. ad Suniam, et Fratelam; magna, ſcilicet luce ca-

Ita docet Rabbi Moſes lib. 2. c. 3.

rere ad veteris Inſtrumenti ſenſum hiſtoricum capeſcen dum, eos, qui ſancta lingua ſunt deſtituti; et quamplurimi ſint huiuſcemodi homines, alioqui litteratiſsimi, qui eam minime a limine ſalutauerint: quia forte non vacauit id efficere, vt aliquam, ſcilicet, eius cognitionem com parare ſibi potuerint, rebus forte ſcholaſticis, tam Philoſophicis, quam Theologicis toto tempore inſiſtentes, et ſecundum totum hominem occupati: minime tamen deſperamus, nequaquam diffidimus, et Diuino auxilio freti, nulla ratione pedes noſtri, ſeu greſſus noſtri effunduntur, quo minus huius capitis intelligentiam litteralẽ, et vere hiſtoricam paraphraſtica expoſitione eis tradere cõfidamus; qua facile, etiam ſine linguarum peritia, poſſint veram huius capitis intelligẽtiam adquirere. Conſuluimus enim recentiorum eruditiſsimorum traductorũ verſiones, iuxta Auguſtini documentum, ſiue admonitionem, 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 12. qua ſacrarũ litterarum ſtudioſos, qui ſtudio linguarum minime incubuerunt, ita admonet: Plures tranſlationes plus adiuuant quam impediant, ſi modo legentes negligentes non ſint. Vnde verſionem ſeptuaginta propter huiuſmodi viros conſuluimus: legimus accurate paraphraſim Chaldaicã: Pagnini tranſlationem inſpeximus. præ omnibus tamen, tamquam omnium principem, maxima cordis affectione, ac veneratione amplexati, et venerati ſumus, et toto ſequimur conatu; tamquam omnium ſacratiſsimam, tutiſsimam, et veneratione digniſsimam, iuxta decretum ſacræ ſynodi Tridentinæ, editionem vulgatam: cuius tan tum modo ſenſum hiſtoricum, et litteralem noſtra hac paraphraſi explicare inſtituimus. Cui labori noſtro, et ſco po, ceteras tranſlationes, tamquam miniſtras non contemnendas, deſtinamus; et vulgatæ editioni intelligendæ

veluti pediſſequas,et ancillas egregias ſubiicimus.In quo meo munere perſoluendo, non eſt cur quiſquam a me amœnitates Oratorias ſpectet: quod alienum valde fore exiſtimo a ſacrarum Scripturarum interprete. Nec enim ſacrę volumina humanæ ſapientię verbis tractanda ſunt, ſed oſtenſione ſermonum ſpiritus virtutis, et veritatis. Et proinde ſic eius interpretes loqui debent, non vt diſerti,et perpoliti videantur; ſed vt auditores, ſeu lectores ſic intelligere faciant, vt ipſi intellexerunt, vel ſcripſerũt. Quapropter minime mihi detrahendum puto, ſi verba aliquando vſurpem minus Latina, atque minus auribus prurientibus ſonantia.id enim ideo a me factum iri opus eſſe iudicaui,vt commentariis eccleſiaſticis, permultisq. ſcholaſticis auctoribus meam ſententiam accommodarem.Quid,quod huius primi Geneſeos capitis totius ſen tētia cum ſit,omnium rerũ corporalium geneſim a Deo preſſe enarrare; mihi ad exactam,et abſolutam intelligētiam litteralem paraphraſticos omnib. Chriſti fidelibus ex intimis penetralibus ſacræ Scripturæ eruendam, magnopere neceſſarium fuit, conſulere Philoſophorum, et ſapientum varia volumina, qui de piſcibus, auibus, animalibus terreſtribus,plantis,herbis,arboribus; necnon et Aſtronomos, qui de corporibus cæleſtibus, et illis affixis ſtellis,ac etiam de motibus eorum diſputauere.Vt ſingularum rerum generationi,ſeu creationi,atque etiam ipſis rebus productis,ſuis quibuſq. locis ea insererem, quæ ad eius rei de qua eſſet ſermo, naturam, ſpeciem, et condicionem exacte cognoſcendam,etſi non in ſpeciali(quod aiunt)ſaltim in genere;neceſſaria eſſe exiſtimarem.Apud quos ſane auctores,vt in plurimum,nequaquam eam loquendi formam, et rationem comptam, et eloquentem inuenies, quæ Ciceronianam, et humanam redoleant

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

eloquentiam. Omnibus ergo omnia cum factus fuero, vt ab omnibus mea in hac re ſententia percipiatur; optatum finem me, Deo donante, conſecutum fuiſſe exiſtimabo. Illud tamen ſolum in cenſendis a vobis iis meis vigiliis, ſemper ab ineunte hoc meo inſtituto veritus ſum; ne mihi quamplurimi veſtrum vitio darent, quod cum decreuiſſem, ac propoſuiſſem (quod ſemper perſequor) ſolam paraphraſticam explicationem huius capitis exercere, et in lucem proferre; quæ quidem breuis vt plurimum eſſe ſolet; tam copioſam, tam adeo longam, atque protenſam connectam, et conficiam; vt dum paraphraſtem agere velim, commentatorem potius me conſtituere videar. minime tamen diffiterer, in me hoc genus vitii (quod graue ſemper in ſacrarum Scripturarum interprete iudicaui) a legentibus hoc meum opuſculum, obiici poſſe: ſi metaphraſis ipſa vnam tantum ſpeciem haberet, ac in ſui latitudine, et poteſtate hanc, quam in hoc opere ſectamur, proprie, et abſolute, tamquam ſpeciem in genere, non contineret. Paraphraſis enim, ſeu metaphraſis (hæc enim voces idem ſignificant) abſolute, et proprie ſumpta, illa eſt, quæ diuinæ Scripturæ narrationem in aliam vertit ei proportione quadam reſpondentem. In qua (Themiſtio in præfatione poſteriorum Ariſtotelis teſte) licet Paraphraſti, ſeruata ſemper eiuſdem ſenſus integritate, non ſolum prolixa, et in longum effuſa ſubſtringere: ſed etiam preſſa, et conciſa libere dilatare, et decora ſermonis elegantia exornare: atque etiam ea, quæ lõge inter ſe diſſita, et nullo ordine diſpoſita videntur, connectere, et in ordinatam ſeriem diſponere: necnon etiam, quæ ipſa littera in dubium videtur reuocare: quoad fieri poteſt, quam breuiſſima oratione explicare, ac definire. Ex quibus iam

cuiuſ

cuius apertum ſit, duas eſſe paraphraſeos ſpecies. Alteram preſſiorem, et ſtrictiorem, quæ nil aliud eſt, quam liberior quædam tranſlatio; quæ etiam recte dici poteſt paraphraſtica tranſlatio, ſiue tranſlatitia paraphraſis. In qua excelluerunt inter Hebræos Onkelos, Ioanathan, et Ioſeph, qui Thargum, hoc eſt; paraphraſim in vniuerſum vetus Teſtamentum, Chaldaica lingua ediderunt. Alteram aliquando fuſiorem, et latiorem; quæ quidem gemina eſt. prior quidem eſt, quæ magis verborum ſenſus, quam verba ipſa ſectando, ſententiam ſacræ lectionis ſub quadam copioſa breuiloquentia elucidat. Qua in re multum valuit apud Græcos Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus; et apud Latinos non minus Franciſcus Titelmanus, et Cornelius Ianſenius Epiſcopus Gandauenſis effulſerunt. Alia vero eſt plus continens artificii: quæ adeo eſt verborum tenax, vt ne vllum quidem verbum ſacri contextus patiatur aut tranſponi, aut immutari, aut prætermitti. Quæ quidem varietas vocari poteſt, paraphraſis intertexta, eo quod verba ſacri contextus vna cum ipſis elucidationis verbis tanto artificio contexat, et connectat; vt niſi characteribus vel magnitudine, vel forma diſparibus vtraque diſtincta fuerint, non facile hæc ab illis poſſint diſcerni. Huius rei admodum proficuæ, et laborioſæ ſolertiæ exemplum præbuit in paraphraſi omnium Pſalmorum, Rainerius Snoi Goudanus, ab ipſo edita. Harum autem omnium exempla habes in citatis auctoribus: in promptu autem tibi Sixtus Senenſis libro 3. ſuæ Bibliothecæ ſanctæ, methodo octaua, ſuppeditabit. Harum autem omnium ſpecierum metaphraſeon, ſequor ego in elucidanda omnium creaturarum corporalium geneſi, primo huius libri capite contenta, non ſtrictiorem, ſed fuſiorem, et latiorem. huius vero,

non illam verborum tenacem, ſed eam quæ magis verborum ſenſus, quam ipſa verba ſectatur. hanc enim exigit hiſtoriæ ratio, vt plene, et omnino perfecte in ſenſu litterali explicetur. Cum autem huius capitis ea ſit ſententia, et inſtitutum, vt productionem totius vniuerſitatis corporalium creaturarum nobis connectat; eam paraphraſim ad ſui hiſtoricam intelligētiam expetit, quæ ſententiam ipſius ſacræ lectionis ſub copioſa quadam breuiloquentia elucidare ſatis videatur. His omnib. vos lectores amantiſſimi, prius admonitos fieri decreui, quo facilius ad perlegendum hanc meam huius capitis explicandi methodum introducerem. Quod ſi omnibus, aut pluribus; et ne mihi arrogantiæ vitio detur, dicam melius aliquib. hos mearum lucubrationum primos fructus placuiſſe intellexero: progrediar vlterius, et duorum ſequentium capitum explicationem eadem methodo in lucem proferre nō grauabor. Noſtrum igitur inſtitutum aggredientes, Moſen ad ſuum populum loquentem, ipſumq. de rebus permagnis edocentem audiamus.

a Initium Paraphraſeos auſpicamur ab hoc loco.

AIT IGITVR: IAM[a] O VIRI Iſraelitæ, Dominus Deus veſter eduxit vos de Aegyptiorum ergaſtulo, deq. ſeruitute illa dura luti, et lateris, qua preſſi tenebamini a Pharaone, ſuam in vos maximam exercente tyrannidem: et in hanc Sin ſolitudinem adduxit, libertatis omnimodæ potiundæ gratia; qua ſine aliquo impedimēto, atque moleſtia eius obſequio vacare poſſitis: et vos ſolos in populum ſuum, et peculium, ſingulari quadam benignitate; non ex meritis veſtris, ſed ſola ſua diuina miſeratione, præ ceteris humani generis nationibus elegit: vt vobis ſui pectoris arcana, et æterna conſilia, a ceteris gentium populis ſeiunctis, manifeſtaret. Vt hac ratione vos in veram religionem, et ſui verum cultum adunaret.

Ad

Ad quod beneficium vobis præſtandum me de poſt fetantes auocans,ducem ſui populi,magiſtrū,et præceptorem,atq. legiſlatorem,qui ſuæ voluntatis inſtituta,et pręcepta vobis intimarē;inſtituit,vocauit,et deſtinauit.Antequam vero hoc meum grauiſſimū,et incomparabile munus,et officium exequar;non minus mihi,et vobis neceſſarium,quam vtile admodū exiſtimo,vt recte in Dei cultu,et amore,ac beneuolentia inſtitutos vos reddam, hæc quæ nunc proferam,vos,breuitate qua potero,docere,et vobis aperire:videlicet,caſum humani generis a ſalute,in qua primi hominum parentes a Deo fuerunt creati,euentum infelicem,et ex conſequenti cauſſam, cur Deus filiū ſuum Prophetam, ac Redēptorem hominib. deſtinabit, miſericordia motus ſuper humanū genus. deinde, quos hactenus ab initio mundi homines voluerit eſſe eius ſecūdum carnem progenitores; et quibus eum promiſerit, vt tandem ex eorum ſemine homo fiat,et naſcatur.Quo ingentis beneficii magnitudinem admirantes, laudabitis Dei erga vos magnificentiam , et largitatem : cum a me vobis hæc narrante,ex gente veſtra, et ex fratribus veſtris Meſsiam hunc,et Redemptorem naſciturum, atque patribus veſtris fuiſſe promiſſum,didiceritis.Præterea,quot inſidiis, et fraudibus diabolus ſtatim ab initio mundi, ad peccata homines incitando, vt Deum contra nos irritaret, hoc Dei de nobis conſilium per futurum Meſſiam,et Redemptorem noſtrum,conatus eſt penitus deturbare, et e medio tollere. Quæ omnia ſatis commode vobis me aperuiſſe iudicauerim, ſi primam hominis ruinam,quæ ex inobedientia aduerſus diuinum mandatum proceſſit, primum aperuero. Quæ quidem inobedientia maxime in cauſſa fuit, cur cæleſtis Pater deſtinauerit filium ſuum vnigenitum in humani generis Redempto-

rem, in ſæculis ſuperuenientibus naſciturum. Cuius noſtri primi parentis maximam contra Deum ingratitudinem vobis licebit admirari, ſi omnium a me beneficiorum magnitudinem, quæ Deus optimus, et maximus illi initio conceſſit: quæ quidem tum externa, tum etiam interna fuerunt, a me explicatam acceperitis. Et vt interna omittam, quæ omnem amplificationem excedunt, vno tamen faſce fuerunt a Creatore complexa, illum ad imaginem, et ſimilitudinem ſuam, omnis [a] ſcilicet boni participem creando; vt ſtatim vobis ſum dicturus; externa quamplurima, et incomparabilia fuerunt. hæc ſcilicet, ipſum condere, et in rerum natura creare; atque eius gratia totam corporalium rerum vniuerſitatem producere, vt in ea, pro ſui arbitrii libertate, de rebus conditis voluptatem caperet. Atque etiam totius vniuerſitatis animalium, et plantarum eum dominum conſtituere. Et tandem in locum amœniſſimum, ſtatim conditum eum introducere, vt deliciis maximis frueretur. Quæ omnia ſtatim a me explicatiori oratione, atque ſigillatim, arrectis auribus vos audire oportebit. Neque erit, cur vos meæ narrationis majorem fidem, quam verba quæ proferam, ſecum præſeferunt, expetatis: nec alios teſtes, aliasq. rationes ad fidem mihi conciliandam oportet inquirere; quam quod vobis ego, qui Dei miniſter, ac nuncius ſum, hæc profero quæ dicam. [b] Non enim atheis, et incredulis hæc mea monumenta ſcribo, et trado: ſed vobis qui creditis, et Spiritus ſancti vnctione præparamini. Ac propterea aliis teſtibus non indigetis, vt verba mea, Dei eſſe credatis, vos qui perſpicitis me ſæpenumero cum Deo loquentem, et faciem meam aliquando ita radiantem ab eius colloquio ad vos afferre, vt intendere in eam minime poſſitis. Et rurſum, quod aperte

a *Ita explicat D. Gregor. Nyſſen. homilia 1. in hæc verba.*

b *Cur Moſes non vtatur præfatione, & rationes, vel teſtes non adferat.*

perte intelligam, eadem ratione vos ea omnia quæ ipſi videtis, filiis, ac nepotibus veſtris eſſe enarraturos: vt nil aliud de me, ac de meis ſcriptis, et doctrina poſteri arbitrabuntur, quam quod vos ipſi, qui ſigna, et prodigia perpexiſtis, ſentitis: videlicet, me Dei ſummi verum fuiſſe præconem; atque monumenta mea, et ſcripta eſſe Dei oracula. Quanta enim audiuimus, et cognouimus ea, et patres noſtri narrauerunt nobis. Non ſunt occultatā a filiis eorum in generatione altera. Narrātes laudes Domini, et virtutes eius, et mirabilia eius quæ fecit. Ac proinde certiores facti, quod mihi Moſi locutus fuerit Deus, (luculentum ſane teſtimonium) nullatenus de me, nec de meorum monumentorum veritate rationes, argumenta, et probationes exigatis. dedecet enim Deum, cum ad homines loquitur, vel eis ſua edicta proponit, ita argumentis ſuas voces aſſerere, tamquam aliter fides ei non deberetur. Cum enim ſit rerū omnium probatiſſimus, ac maximus [a] iudex, eius non eſt argumentari, ſed pronuntiare verum. Quare Dei, et noſtra ſchola, et ſynagoga niſi idoneis ad credendum, et [b] ſuaſibilibus, hoc eſt, qui Dei auctoritate præcipue, ac ſuorum internuntiorum nitantur, minime patebit.[c] Ac proinde ſummi viri, et grauiſſimi Doctores contentioſos a ſuis ſcholis, tamquam indignos capiendæ veritatis [d] repellere debent. Quod ſi homines humana tantum ſapientes, ac etiam ea ſola docentes, et profitentes, quæ ſuo perilluſtri ingenio, ac ſummo ſtudio conſequuntur, id magnopere cum ſuis auditoribus, de his ſolum quorum rationes proferre queunt, agere debent: quid nos, qui ſummi, et veri Dei ſcholam in noſtram curā accepimus, et Doctoris munere fungimur, ſublimia, et excelſa, et captum humanum excedentia docētes præſtabimus? Propterea niſi ſola fide, ſeloq. demiſſo ani-

Pſalm. 77.

a *Ita Lactantius lib. 3. cap. 1.*

b *Non aliis patebāt ſcholæ Pythagoræ, et alior. clariſſimorū virorū.*

c *Vnde Pindarus apud Ariſt. in œcumenicis dixit: Curioſos enim, agenteſq. plurima, odere diui.*

d *Vti repellebat Pythagoras, teſte Diogene Laertio in eius vita, & apud Gellium lib. 1. cap. 9. de eo, et eius familia refertur.*

ſo animo,non elato,non turgido,hęc quæ dicturus ſum, receperitis,minime capietis;et niſi credideritis,non intelligetis.Etſi præterea[a] ea ſunt honeſtate inſignita,vt ſi etiã aliquando aliter diuinis miraculis comprobata non eſſent, recipi a vobis debeant. Gerat ergo quiuis veſtrum mẽtem,et dicat:Audiam quid loquatur in me Deus.Loquere Domine,quia audit ſeruus[b] tuus.Daturus autẽ vobis diuinã legem,et ſuperna mandata,non ab infimo,ſed admodũ alto,et veluti ab ouo (quod aiunt)repetito principio,videlicet a mundi creatione, rem auſpicabor. tum quod res ſenſibiles maximas adferre ſuppetias nouerim ad Dei attributa,et perfectiones,ſcilicet vnitatẽ,omnipotentiã,ſapientiam,beneficentiã,et id genus,quæ ſola mente attingũtur,cognoſcenda:vt cognitione vnius Dei creatoris, tãquam certo quodam lumine purgemini, falſasq. Aegyptiorũ de deorum multiplicitate,et de mundi ęternitate opiniones,quibus illi vos imbuerunt, protinus ex animis veſtris abiiciatis. tum etiam,vt cũ intelligatis, vos ex Pharaonis ſeruitute in libertatem a me Dei auxilio eſſe aſſertos,atq. eius,qui mundi opifex eſt,et rector, effectos eſſe: vobis meis primum videar legem ferre,non alienis; et ipſi humiles, et timore ſancto concuſſi, leges Dei has, quas vobis intimabo,ſumma reuerẽtia,vt par eſt recipiatis,receptasque ſummo ſtudio,ac omni officio deinceps obſeruetis. Quod certiores eſſe poſſitis, a ſapientiſſimo, ac beneficentiſſimo orbis conditore,et Domino veſtro, qui vos præ cunctis populis,in veſtrorũ patrum gratiam, ſeruandos, et protegendos amanter delegit; non niſi leges optimas, et quæ vobis futuræ ſint ſaluti,ornamento, et commodo,emanaturas.Atq. etiam pręterea,vt ſic vos admoneam, ne cum paulo poſtea perſpexeritis, Chananæos deturbandos, et expellendos; atque alios funeſtos popu-

Eſaiæ 6.iuxta 70.

a Sic ſolebat dicere Pius II. apud Platinam in eius vita.

b Ex iis aperte intelligitur, pernicioſe delirare Galenus lib.de differentiis pulſuũ,reprehendens Moſi, & Chriſti ſcholã, quod leges nulla demõſtratione conſtitutas, vel firmitas auditores doceat;quinimmo empiricos eos faciat, qui ſola auctoritate Dei nullam Philoſophicam demonſtrationem poſtulantes,ducantur fide ſincera omnia recipientes.

populos a propriis,et auitis eorum regnis;et vos ipſos effici colonos,et dominos:vel minus quam par eſt,ſentiatis de Dei bonitate; vel irrogatam iri illis populis iniuriã exiſtimetis. cæli enim,et terræ conditor prouincias,et regna quibus libuerit, vel concedere, vel eripere citra cuiuſque iniuriam poteſt.Virtutem enim operum ſuorum a annunciabit populo ſuo:vt det illis hereditatem gentiũ, ſcilicet Chananæorum Gentilium idolatrarum, nulla illis irrogata iniuria: cum ſe iam per me vobis creatorem orbis, moderatorem, et dominum declarauerit. Quamquam etiam Gentiles illos,ob ingentia,et permulta eorũ flagitia, proprio ſolo iuſte priuabit,vt inferius dicam: ac etiam vobis futurum credite, niſi mandatis eius obtemperare volueritis. Igitur curate, vt leges Dei, quas vobis proponam,atque iudicia; cuſtodiatis,et faciatis ea:ne et vos euomat terra illa, cum eam incolueritis: vt dudum populos Chananæos, et Amorrhæos, qui iam eam ante vos incolunt,euomet.Necnon etiam a creatione mundi rem hanc exordior, quod inter externa beneficia Adæ collata, principem locum obtineat. Atque ipſa hiſtoriæ ſeries exigit, vt ab ingenti noſtro generi collato beneficio, narrationem hanc auſpicemur; et vſque ad ea pertrahamus, quibus formationem Adæ, et peccatum eius, et promiſsionem de futuro ſemine, et pacta quæ cum patribus noſtris iniuit, tam de Meſſia Domino, quam de eripiendis vobis a ſeruitute Pharaonis,et in terram promiſſam per hanc deſertam viam deducendis,ordine quodam in apertum conſtitueremus.Iſtis enim noſtris peregrinationibus, tamquam typis quibuſdam, hoc arcanum vobis,etſi craſſius,contendit Deus adumbrare: fore videlicet aliquando, vt credentes a diaboli tyrannide per Meſsiam promiſſum, et venturum eripiantur,

Mal.c.1. Rom.9. Pſal.110. a Futurũ pro præterito.

Geneſ.15.

Leuit.20.

Igi-

Igitur quo modo hæc res creationis mundi ſe habuit,arrectis auribus animaduertite; atque vobis,et poſteris accipite,in monumentum ſempiternum. Sunt namq. hæc quæ dicam,omnibus hominibus ſcitu digniſsima, et neceſſaria: vt vere agnoſcant noſtri vnius,et omnipotentis Dei maieſtatem, et omnivirtutem,omnipotentiam,atq. omniſapientiam; ſecundum quam quæcumque ſunt,ab ipſo,vt a primo fonte ipſius eſſe,et principio,prodierũt.

DEVS. Scire igitur vos oportet,ne decipiamini arbitrantes,hunc (quem oculis cernitis) orbem ab æterno fuiſſe,vti exiſtimant [a] Chaldæi, a quibus nos Hebræi orti ſumus:non ſic res ſe habet. ſed Deus ille qui Pater, et Filius,et Spiritus ſanctus eſt,vnus in eſſentia, trinus in perſonis; quibus quoduis opus externum indiuiſum, et cõmune eſt:illæ,inquam,tres perſonæ,quos tres iudices adiectiue,vnum tamen ſubſtantiue, et ego appello, et vos intelligite:eo quod non ſolum ſua omnipotentia,et fortitudine omnium rerum auctor eſt, et mundum condidit; verum etiam iudex ſupremus,et rector eſt:ad quem attinet,curare,et moderari hominum res: et a quo vnuſquiſq. noſtrum eſt præmia, et ſupplicia, quo modo promeritus fuerit,reportaturus. ſecũdum enim nomen eius, (Elohim,ſcilicet,iudices)ſic et laus eius ſit in vniuerſa terra: nam iuſtitia plena eſt dextera eius. quem ſummum opificem, Dei,et iudicis nomine,vobis ante oculos proponendum,nunc primum iudicaui:et ante quidem iudicis, poſtmodum vero Dei. tum quod hac ratione grauiter, et tamquam in faciem, confeſtim percutiam quoſcumq. inſanos,et incredulos homines:tum etiam,quod Deus in rerum naturis conſtituendis, ad inſtar iudicis,et gubernatoris,ea omnibus diſtribuerit,quæ ſingulis (et cũ primis vniuerſo,cui potiſsimum proſpiciebat) congruerent

a Ita docet Plutarchus lib. de placitis Philoſophorũ: quos Chaldæos ſecutus eſt Ariſt. & etiã (teſte Plotino lib. 2. enneadis ſecũdæ, & Apuleio de dogmate Platonis, & Simplic. 3. Phy. et 1. cæli) Plato; licet Ioan. Grãmaticus lib. 6. contra Proclum, dicat Platonem cũ Moſe ſenſiſſe, & rectius fortaſſe. Plinius etiã lib. 2. c. 1. ſubſcribit æternitati mundi, & alii multi; qui hoc Dei verbo, erroris, et falſitatis damnantur.

rent,et eſſent optima.Vt contemplantibus rerum vniuerſitatem,non ſit difficile intelligere,cur non vnum eſſendi gradum, ſed multiplices, immo omnes,videlicet eſſe,viuere,ſentire,et intelligere produxerit: curque res omnes non fecerit ęquales,ſed earum ſpecies voluerit in indiuiſibili,vt [a] numeros conſiſtere,vel tamquam [b] figuras:atq. ſuæ fuiſſe voluntatis, vt ſtellæ inter ſe claritate diſtinguerentur. Impertitus itaq. cum ſit rerum opifex, eſſe, et viuere, iis quidem clarius, [c] aliis vero obſcurius; et fecerit omnia in pondere,numero,et menſura: videtur tamquam iuſtitiam diſtributiuam quandam in hoc ſuo opificio ſeruaſſe. Quod vt vobis aliquantulum indicarem, tota hac productionis mundi ſerie,productorem eius ſupremum,qui eſt Deus; Deum,et iudices me illum compellare intelligetis. Nec ob id ſolum id præſtabo:ſed etiã potiſsime, vt eo nomine vobis explicem ſatis [d] aperte, Dei opificis præcellentem, et indicibilem in creando mundo fortitudinem:quam omnipotentiam ſignificantius nuncuparem. et proinde,cum me audieritis creatorem antonomaticos iudicem ſtrenuum,et fortem appellantem; id conſulto me agere exiſtimate: quod de eiuſmodi ipſius omnipotentia (quam nullibi æque explicari poſſe exiſtimo,atque in vniuerſi creatione)vos commonefacere inſtituerim,et in eius admirationem,et cultum; omnes qui mundũ hunc contemplabuntur,prouocare.

IN PRINCIPIO. Deus ergo iudices, et ſummus opifex,in principio non æui,ſed [e] temporis: de hoc enim loquimur:a temporis namq. exordio auſpicamur, et teximus hanc hiſtoriam:cum poſtmodum primorum hominum formationem,eorundemq. filiorum,ac nepotum ſeriem, ac ſubinde annorum numerum, quibus vitam hanc vixerunt; ſedulo,et accurate vobis ſim enarraturus

[a] *8.meta.10.*

[b] *3.de animo 31.* *1.Corinth.15.*

[c] *Ariſt. 1.cæli, tex.100.* *Sapien. 2.*

[d] *Niſi enim in creationis ſerie, nuſquam Moſes apertius Dei omnipotẽtiã declarauit: nomẽ enim Elohim, quod in Hebræo ponitur, vbi nos nomen Deus habemus, & ſignificat iudices, a fortitudine deſumitur, teſte D.Hiero. in epiſt. ad Marcellam.*

[e] *De hac re admonet Augu.12.confeſſ.c.9.& ſynod. Lateran. ſub Innocen.3. quæ etiã recipit hanc intelligentiam: & habetur cap. firmiter de ſum. Trini. & fide cathol.*

turus. Vt ſic a me ceteri annalium ſcriptores didiciſſe videri poſſint, quoto anno ab orbe condito ea euenerint, quæ ſcripturi ſint. In temporis itaque initio, et cum illo, quod ita fuit temporis caput, vt nullam moram, nullâq. diuiſionem potuerit admittere: hęc in ſumma, vel [a] ſummatim (quæ dicam tam multis, et veluti per partes diſtincta deinceps) CREAVIT ex nihilo, ſeu ex nulla prçexiſtente ſubiecta materia, hunc quem oculis cernimus, orbem produxit. Creauit, dixerim, Dii illi; non autem dixi, creauerũt Dii illi, et iudices illi: ſed cum tres perſonæ illæ diuinæ ſint vnus Deus, vnam ſimpliciſſimam Deitatis eſſentiam habentes, ratione cuius creare mundum, et omnes creaturas, eis conuenire oportet: ideo tres ille Deus, ſiue Deus illę tres perſonæ, creauit orbem. ſemper enim Dei vnitatem cum perſonarum trinitate, vobis a me cõſtantiſſime prędicandam, vobisq. neceſſario credendam intelligite. Vt certo vobis a me conſultum ſit, eſſe ſanctæ huius, quã vobis trado, Scripturę, atque eius, quam, [b] Deo auctore, ceteri eius ſcriptores tradiderint, obſeruandam maxime, etiam in verborum ratione cautelam: prçſertim cum de Deo ſermo in ea inciderit. ſemper enim ita diſerte de Deo enuntiabit verbum eius, vt minime lectoribus offendiculo ſit futurum; atque ita aperte Dei vnitatem, cum oportuerit, prædicet, vt nemo ſit, qui non intelligat, diuinum ſermonem reiicere, et profligare deorum pluralitatem. Quamuis mihi nunc non eſt vt a vobis timeam, de hac re apertius loqui: quibus de vnitate Dei ſæpenumero, et patenter verba iam pridem fecerim, et facturus deinceps etiam ſim. Quem nihilominus in maiori numero vobis nominare poſſum, et vt iam dixi, nunc etiam dicere Dii, ampliandi, et honorandi gratia illum ſummum, et vere vnum Deum. Nos enim Hebræi non

ſolum

[a] *Ita Rabbi Moſes; & placuit mirifice Chryſoſ. & Gregor. Nyſſen.*

[b] *Regul. eſt Origen. homil. 1. Hexamer.*

ſolum minori,ſed etiam maiori numero cum conſueuimus interpellare: quo Dei amplitudinem et plurali numero ornare videamur, et ſingulari eius vnitatem diſerte, et publice prædicemus. Necnon vt prophanis hominibus arcanũ Trinitatis myſterium occultemus. Quod [a] quidem vt beatis oculis (eminus tamen propter impios) ſpectandum proponerem: ob hanc præcipue rationem intelligere debetis, me hoc loco ſummum opificem Deum plurali numero,cum actione ſuppoſiti ſingularis, compellaſſe dicendo,Dii creauit: vt omnes vos fidei lumine perfuſi, indiſcriminatim ſanctæ,ac indiuiduæ Trinitatis, omniumq. trium perſonarum eandem eſſe conſubſtantialitatem,et diuinam naturam; ac proinde hanc eius communem actionem, indiuiſamque intelligeretis: etſi lux iſta, quod ferre eam ægri oculi non poſſint, velo quaſi obnubilata ſit hoc loco vobis a me propoſita. Eſt igitur Deus, Pater,Filius,et Spiritus ſanctus, Elohim, hoc eſt, Iudices,[b] adiectiue videlicet. Nec enim diuinas perſonas Iudices, vel Deos, ſeu Dominos prohibemus appellare; ſed tres Deos,tres Dominos, dici a quoquam catholice poſſe negamus; ac ſimiliter tres Iudices. Etenim Deus,Dominus,et Iudex, et id genus nomina, cum alicui numero adiunguntur, ſermonem ſubſtantiæ induere ſolent. Quæ cum vna, ipſiſſimaq. in omnibus Dei perſonis ſit; recte dictum cuiuis ſapienti videri debet, tres minime eſſe Deos, nec tres Dominos, aut tres Iudices: vnitas [c] enim maieſtatis plurium vocabulo Deos prohibet appellari. Quod Trinitatis [d] myſterium,ob ſuæ magnitudinis celſitudinem,ſolum noſtris maiorib. Prophetis, et Patriarchis, ac mihi etiam, ſpeciali caritate, et gratia Deus reuelauit. Quod id ipſum reliquis maioribus ſui, et noſtri populi præſtaturum ſua benignitate,

a Hæc eſt ſententia Magiſtri, & ſectatorũ eius, 1. d. 2. & optima. nullus enim oportunior in Moſe locus eſt myſterium Trinitatis explicãs; etſi cõtrariũ dicat Caiet. & etiã Oleaſter, qui nimiũ fauet Rabbinis.

b Ita S. Tho. 1. p. q. 39.

c Verba ſunt Grego. Nazian.

d Antiqui Patres, qui primores fuerũt in lege naturæ & ſcripta, vt Patriarchæ, & Prophetæ, oẽs explicite cognouerunt myſteriũ Trinitatis; licet non diſertis, & perſpicuis vocib. Patris, Filii, et Spiritus ſancti eã nominarũt. Erat enim tenebroſa aqua in nubibus aeris; populi autem ante Dñi prædicationem nõ eã perſpicue agnouerunt. Et ſic in-

telliguntur verba Chriſti Ioann. 17. Manifeſtaui nomē tuum hominib. & Aug. ibi, & S. T. vbiq. quando oppoſitum videntur aſſerere.

confido: ne myſterium tam cognitu neceſſarium, ſuis fidelibus occultetur. Cum igitur Deus ita vnus ſit, ac ſolus, vt tamen non ſit ſolitarius; et rurſum in eo ita ſit pluralitas perſonarum, vt tamen indiuiſa ſubſtantia ita maneat, vti verbis a me propoſitis, Dii creauit, ſignificatur; apertiſſimum eſt, eos omnes qui vel pluralitatem perſonarum eſſe in Deo inficiantur; vel ſi eam confitentur etiam, vel diuiſionem, vel diuerſitatem quoque ſubſtantiæ inducunt; ſacrilegos eſſe, atque [a] blaſphemos. Harum autem trium diuinarum perſonarum primę, hoc eſt, Patri, hoc immenſum creationis opus veluti quadam appropriatione aſcribimus: ſicuti etiam ſecundæ, videlicet Filio, eſſe exemplar, ſeu artem Patri ad operandum extrinſecus, propter ſapientiam, quam ei appropriamus; quod per eum tamquam per artem, et exemplar (agit enim Pater intellectu) creaturæ omnes de non eſſe ad eſſe prodierunt. At cum quidquid id ſit, quo opifex rem agit, ſiue organum fuerit, ſiue exemplar, et forma, vel aliud quidpiam, dici medium inter agens, et paſſum; recte, et oportune poſſit; inde ſequitur, etiam Filium Dei mediam cauſſam, non quidem Patri vt efficiat, ſed orbi, et creaturis, vt ab eo proficiſcantur, appellari poſſe. Quemadmodum et exemplar propter ſapientiam appropriatione nuncupatur, Filius igitur in mundi creatione, atq. in quouis opere Trinitati externo, dici poterit cauſſa media, media inquam, origine tantum. Vt enim Pater ſeipſo et eſt, et efficit, hoc eſt, a nemine habet vt ſit, et efficiat: Filius nihilominus vtrumq. a Patre habet: quare principium de principio dicitur. Et proinde per eum condita dicuntur fuiſſe omnia. Quæ quidem ſibi perſona, vt diximus, non eſt media inter Creatorem Deum, et creaturas; ſed inter Patrem, et creaturas. Creatio autem, cuius

a Sicuti ſunt Iudæi, Sabelliani, Authotheanes, Tritheitæ, et Ariani: quod autem Caiet. aſſerit, nō eſſe hic locū Trinitati, nō eſt admittendum; cū nullibi in libris Moſis oportunior locus ſeſe nobis offerat.

hic verba facimus, vt me ſæpe dixiſſe recordor, commune Trinitatis eſt opus: exemplar enim, et forma illa, qua a Patre mundus eſt productus, cum ſit ſubſiſtens, ſimiliter et ipſa efficit: ac tantundem dicendum de amore illo per ſe ſubſiſtente, et tertia in Trinitate perſona, in quo Deus mundum condidit, et vniuerſa quæ in eo ſunt.

IN PRINCIPIO CREAVIT CAELUM. Deus itaque Pater per Filium ſuum vnigenitum, in Spiritu ſancto, quo Pater, et Filius ſubſtantialiter in vna natura diuina, veluti amore per ſe ſubſiſtente nectuntur: in illo indiuiſibili [a] temporis initio, atque etiam cum eodem temporis principio, mundum creatione produxit. Et dum illum fabricaret in capite illo temporis, ſeu productionis, vel creationis mundi, primo produxit, et creauit cælos; non ſolum empyreum (quod [a] eſſe, conſtanter vobis credendum eſt, quodq. ſedes eſt beatorum ſpirituum; atque cum venerit temporis plenitudo, animas quoque iuſtorum hominum recipiet, et in vltima mundi regeneratione eorundem corpora deinceps poſt diem iudicii, cum ſanctis ſpiritibus in cælo iſto integram felicitatem, et beatitudinem conſequentur) ſed etiam reliquos omnes alios ſub ipſo contentos, ac in circumquaque ab eodem inferius per gyrum ambitos: omnes illos, inquam, cælos, qui ſupra nos ſunt, ſtupendos, et omni admiratione dignos, corporaq. inſignia, et celebrata: ac vſque adeo nobilia, et præcellẽtia; vt gentes omnes magna con ſenſione arbitratæ ſint eſſe domiciliũ [b] Dei. Quem enim hæc cæleſtia corpora in admirationem, et ſtuporem inſignis eorum pulchritudinis, et vaſtitatis, et ordinis, et virtutis; deinde vero (ac multo magis ſane) et omnipotẽtię, ſapientiæ, et bonitatis Dei, quæ ea ita condidit, tantumq.

a Sic legit D. Grego. Nyſſen. in ſuo Hexamer.

b Hos cælum eſſe conſtat traditione Apoſtolor. et ſententia D. Clementis lib. 2. & 3. recognitionũ, D. Baſilii homil. 1. Hexamer. & aliorũ Patrũ Eccleſiæ; quos ſequuntur Strabo, Beda, et oẽs ſcholaſtici: cui cælo nomẽ hoc, Empyreũ, Strabo, et Beda indiderunt: de quo ſcribit Auguſtinus Steuchus lib. de rebus incorporeis, aiens id eſſe increatũ, et æternũ (ſub correctione tamen S. Eccleſiæ) qui error, et hæreſis fuit Arnaldiſtarũ, de quib. D. Bernard. epiſt. ad Epiſcopũ Conſtantiæ.

c Cælos eſſe domiciliũ Dei, docet Ariſt. 2. de cælo, 1. et ob id ſancti Deũ innocantes ſuſpiciũt cælũ; vt Suſan

ita Dan. 13. Chriſtus Ioann. 17. & nos orantes Matthæi 5. et Pſal. 112. & 123.

tribuit præſtantiæ, et pulchritudinis, non inducunt? ſed et nemo negabit, ea cunctis populis notiſſima, et celebratiſſima eſſe. Cumq. omnia inferiora ambiant, ſuoq. motu circa centrum cieri faciant, ac per conſequens ea omnia elementa, videlicet aer, et ignis, ex hac motus cognatione nomine cælorum potiri poſſint; ſicuti apud nos gaudebunt[a] ſæpenumero: ea propter, cum me Deum cælos creaſſe dicentem auditis, cæli nomine omnia ſuperna corpora ab aqua, et terra, quorum eſt vnum centrum, hoc eſt, quidquid elementis terræ, et aquæ terminatur, me eſſe cōplexum intelligite. Vt proinde nullum in hac creationis mūdi enarratione corpus inſigne, quod hunc ſenſilem orbem conſtituat, prætermiſiſſe videar. Quapropter repente ſermonem ſum habiturus de aqua, tamquam quæ iam ſimul cum præcipuis ſimplicibus corporibus extiterit.

a Vt patet Pſal. 8.

Eſai. 63. Pſal. 19. Ecclesiaſtes 1. Eſaiæ 66. Pſal. 103. Eſai. 40. Pſal. 114.

ET TERRAM. Creauit igitur Deus in principio prædicto cælos illos, nobiliſſima ſane corpora, et ſolium Dei ſanctum; atque etiam terram hanc inſignem magnitudine, admirabilem, et pulchram; et vt ſedem firmam, et perenniter duraturam, medio axe libratam, centrum, et baſim mundi conſtituit; atque ſcabellum Dei, prçſtantemq. et admirabilem plantarum, et animalium parentem, nutricem, et receptricem. Quam et nobis, dum peregrinamur a Domino, incolendam, terendam, et ſubiugādam amanter ille, et benigne dedit. Et hæc fuere prima fundamenta molis pulcherrimæ, quæ iecit Deus; cælum ſcilicet, et terra. Quæ duo vniuerſarum rerum, et totius orbis cum ſint ſubſtantia, et prima, vt dixi, fundamenta; cum iis ſimul intelligite omnes ſimplices ſubſtātias, tam corporales, quam ſpirituales, primo temporis momēto, et principio cum ſuis proprietatibus naturalibus, et inter-

nis crea-

nis creatas a Deo,ac productas fuiſſe: vt ſic eo ordiretur opus ſuum, quo nec maius quidquam natura, nec melius habet. Quæ quidem vaſtiſſima corpora, et præcipua cum ſolum in idea diuina antea extarent; (ſicuti et omnes creaturæ,quę fuerunt poſtmodum productæ ab opifice)non fuerũt ante temporis initium creata informia.[a] Omnes enim ſapientes Patres,fidei lumine perfuſi,communi conſenſu tenuerunt: atque in populo Domini, et eius Eccleſia hanc fidem ſectandam cunctis futuris hominibus proponimus; nil ſcilicet ante hanc cæli,et terræ creationem,quam modo vobis proponimus, Deum feciſſe. Quo fit vobis compertum, me non mundi nunc compactionem, et ferruminationem, atque venuſtatem exponere;ſed creationem.Nec ſolum autem cælos illos, et terram iſtam,atque corpora intermedia creauit ſapientiſſimus Deus; ſed etiam ſeparauit loco, ſitu, natura, et ſpecie,atque diuiſit; et ordine quodam,ac poſitione diſtinxit.hac ſane ratione,vt ſcilicet terra ſubſideret omnib. aliis elementis vndequaque; aqua aeri,hic vero igni:quibus omnibus ſuperſederent corpora cæleſtia. Atque hic eſt omnium eorum corporum perpetuus, naturalisq. ſitus, et locus. Quibus docemini cum omnium conſenſione nil ſit Deo melius,nilq. cogitari poſſe eo antiquius, nil perfectius,potentius,et beatius: atque adeo illum eſſe actum puriſſimum,intelligẽtem,immobilem, æternum, interminum, indefinitum: quæ omnia ſplendidiſſime ſummi viri ſemper probabunt.conſequenter,cum illum dicimus creaſſe cælum,et terram; id etiam explicari,non hæc effeciſſe,vt illis melior,ſeu beatior euaderet; hoc eſt, vt vel his rebus, vel externa ſua hac actione fieret ei aliqua virtutis acceſſio: atque adeo gratia finis, quem non habet. Etenim cum ſumma beatitudine nõ ſtat indigen-

a Hæc omnia pugnãt cũ Oleaſtro, qui tenet iſta elementa antea ſimul cum Angelis fuiſſe facta informia; quod ſane eſt contra decretum concilii Lateraũ. & cap. firmiter. de ſumma Trinit. & aperit latiſſimam feneſtrã ad introducẽdũ chaos Anaxagoræ in Eccleſiam Dei.

tia;cum indicibili,et inexcogitabili perfectione,et affluẽtia,nõ ſtat alicuius rei deſiderium. Ideo enim hunc ſummum opificem, et Dominum Deum noſtrum viri ſancti,et fide diuina pollentes,Deum ſuum,atque omnium eſſe dixerunt: quoniam bonorum noſtrorum non eget, quibus tamen cetera omnia indigent,quod hominis gratia condita fuerint, et abſq. illo nullo modo eſſent, ſicut corpora omnia ſunt; vel certe non ita eſſent,atque nunc eſſe videntur.etenim et Angelis fit acceſſio aliqua ex hominibus.Docemini etiam,ſi Deus creauit cęlum,et terrã initio temporis,illum eſſe extraneum ab illis;non eſſe,ſcilicet,cæli,aut terræ partem,nec animam [a] eorum,aut totius mundi:ſic enim ex ipſo,et mundo vnum totum per ſe conſurgeret, quod omnibus modis eſt impoſſibile. Præterea, cum auditis, cum in principio creaſſe hunc orbem,dictum putate,Deum eſſe æternum: namque quacumq. data creaturarum durationis menſura, æuo ſcilicet,vel vtroque tempore, nimirum diſcreto,quo intellectiones [b] Angelorum menſurantur; et cõtinuo,quod eſt imago æui,quod in numero [c] fluit: certe cum auditis, ei Deum prẹextitiſſe;ſimul quoque intelligere debetis,Deũ eſſe æternũ.Non enim aliam ab æternitate,æuo,et vtroq. tempore,menſuram cognoſcimus durationis rerum.Igitur Deus, ſummus rerum opifex, præceſſit æternitate et has menſuras,et res omnes illas,quę eis menſurantur.Eſt igitur etiam Deus immobilis, et cuiuſq. expers viciſſitudinis: æternitate ſiquidem, quæ tota ſimul eſt, mobilia, quantumuis longæua, et perennia fuerint, poſſunt minime menſurari. Etiam ex his fit,ſi tempus habuit exordiũ illo initio,et momento indiuiſibili prędicto:falſum eſſe [d] exiſtimare,quoduis temporis inſtans fuiſſe præteriti temporis finem,et initium futuri. Quo etiam Dei indicibilẽ, et in-

a *Sicut Varro exiſtimauit.*

b *Etiã intellectiones hominũ, teſte Simplic.3. de anima, iuxta ſectionẽ Græcorũ, menſurantur tẽpore diſcreto.*

c *Ita definiuit illud Plato in Timæo.*

d *Vt falſo ait Ariſt.4.Phyſi.*

et incomprehẽſibilem in efficiendo vim, vobis apertam eſſe volui: quippe, cum in momẽto primo temporis, hoc eſt, quauis celeritate celerius, immenſum hoc opus, atq. adeo nullo motu, nullaq. trãſmutatione (præcedit enim hanc alteratio, quæ in tempore neceſſario fit) perfecerit: quo modo nec ars, nec natura poſſunt aliquid efficere. Docemini etiam ex iis, Deum in efficiendo mũdo oſtendiſſe maximam ſuam libertatem, aut etiam quid eã præſtantius. ſi enim ſola ductus naturæ proprietate, et impetu, et de neceſſitate naturę mundum egiſſet, atque totum opus fuiſſet aggreſſus: primum quidem nequaquam certo quodam, ac definito temporis initio, ſed ab æterno id feciſſet, atq. citra deliberationem. hoc enim genus agentium, quod impulſu, et neceſſitate agit naturæ, confeſtim ac totum in actione poſitum eſt, cum nullum ei obſtat impedimentum. Deo autem nullum impedimẽtum vetare potuit, quominus ab æterno, ſi ſola natura ageret, ſe ipſum exereret. Atque etiam ſi ſola natura egiſſet, procul dubio mundum effeciſſet infinitum (agens enim ſola natura, agit quantum poteſt, vt dixi) vel ſane illum non effeciſſet: videlicet quia tantæ potentiæ locus non fuiſſet, et repugnaret tale quidpiam fieri. Si autem non neceſſitate, ſed ſumma, et indicibili ſua libertate creauit; ergo electione. licetq. nullius ſibi perfectionis acquirendę gratia, ergo bonitatis, et affluentiæ ſuæ diffundendæ, ſuiq. ipſius impertiendi cupiditate, et amore: ac ideo gratia finis, quẽ habet. Atque ita bonitati ipſius, et amori omnia hæc accepta ferenda ſunt. Hoc igitur mihi ex iis iure pleno ſemper ſumam in ſequentibus, vobiſq. debet conſtitutiſſimũ eſſe: non neceſſitate, ſed libertate, ſed electione, ac ſponte ſua, diuinam illam, ac indiuiduam Trinitatem in hac innumerabili, ac pæne infinita diuerſarum rerum congerie

Vide Platonis conuiuium, & in Timæo.

(quam mundum vobis nuncupamus) ſeſe diffudiſſe, et cõmunicaſſe. Et cum iterum verbis a me propoſitis, quibus hanc creationem cæli, et terræ a ſummo opifice indicaui, ſummam quandam earum omnium rerum, quas deinceps ſigillatim ſum enarraturus, aperiam; fit etiam conſequens (ſi optime perceperitis) eundem opificem quidquid ipſe non eſt, effeciſſe: ſubſtantiam ſcilicet, et accideris; actum, et potentiam; permanentia, et ſucceſſiua; atq. totum ens quantumcumq. illud eſt; et quę entis cenſentur paſſiones, tum diſiunctæ, tum etiam cum eo conuertibiles. iis enim extremis, *Cælo, et Terra;* voluit Spiritus ſanctus, me vobis rerum geneſim enarrare incipiente, omnia complecti quæ quomodocumq. ſunt, voluit, inquam, veluti cancellis concludere: vt ſic etiam cauſſæ vniuerſaliſſimæ, ac omnium principi, effectus vniuerſaliſſimus omnium maximus, videlicet quidquid exiſtit, hoc eſt, ens participialiter aſſignaretur. Et cum rurſum, cælum, et terra ſint res per ſe ſubſiſtentes, et ſingulares, quæ primum omnium eſſe creata, a me dictum eſt; fit vobis minime obſcurum, creationem primum ad ea, quæ per ſe ſubſiſtunt, terminari, conſequenterq. ad accidẽtia: (qua ratione conuenit cum generatione) formæ enim, et accidentia neque creata, neque genita, ſed congenita proprie, et recte [a] dicuntur. Succeſſiua vero, quorum eſſe in fluxu, et in ordine vnius partis ad aliam ſitũ eſt, vti tempus, et motus; primo tẽporis momento fiebant quidem a Deo, non tamẽ in illo fuerunt: huiuſmodi enim non ſunt quãdo fiunt, quorum eſſe requirit, vt eorum partes ſimul exiſtant; quod tempori, et motui in primo inſtanti, et momẽto illo repugnabat: cum nullum tẽpus illud momentum anteceſſerit. Quamuis etiam debita explicatione dicere poteſtis, tẽpus, et motum in illo primo momẽto incepiſ-

7. Metaph.

[a] *Non eſt cur a creatione quidditates eximas, cũ aliquib. quia illæ nõ exiſtunt niſi in ſingularib. 7. meta. tex. 10. atq. ideo ſecundum exiſtentiam ſubſequũtur ſingularia, licet in intellectu antecedũt ea, vt probat Alexander lib. 1. q. num naturaliũ. q. 11.*

cepiſſe,hac ratione,quod ante illud non fuerunt,nec etiã in illo,ſed ſtatim immediate poſt illud, hoc eſt,in tẽpore immediate ſubſequente illud primum inſtans:celũ vero, et terra,atq. alia permanentia ſimul cum eis creata in primo temporis momento,et creata ſunt ab opifice Deo,et inceperunt, et extiterunt. hoc enim rerum genus incipit cũ poſitione de præſenti,et negatione de [a] præterito,Prę- terea etiam,cum nomina hæc, cælum,et terra,deſumpta ab vtriuſq. corporis ſpecificis formis, vel etiam proprietatib. ſicuti etiam nomina reliquorũ corporum , quæ intermedia ſunt:procul omni dubio tenendum cenſemus, hæc prima,et illa intermedia omnia corpora,ſub earum formis propriis,quibus in determinata ſpecie conſtituuntur,ab opifice fuiſſe creata, hoc eſt, non ædificata (auguſtior enim mundus eſt , quam vt dici ædificatus debeat) ſed ex nihilo facta : non ex ſubſtantia opificis,non ex antegreſſa materia aliqua. Vt ſic et illam inexplicabilẽ Dei vim,id eſt omnipotentiam, hoc verbo creandi vobis explicemus; et creationem lato diſcrimine,quãtum attinet ad ſubiectum,a motu,et mutatione ſeiungamus:licet cũ hac conueniat in termino.Videtis etiam hinc,mundi huius, cuius geneſim enarrare incipio,vnitatem, ab vno itẽ opifice Deo.Non enim inquio,creauit terras,ſed terram: quæ ſit vnum centrum, cuius vna ſit poſtrema circumferentia; vnus proinde globus,non plures,non [b] innumerabiles,ſed vnũ orbem aſſerimus.hoc autẽ,non quod Deus non plura intelligat quam effecit, ſicq. neceſſitate ſcientiæ vnum tantum orbẽ effecerit:quia dum ſeipſum penitiſſime perſpiciat,et eius intellectus eſſentiam,et potentiã exæquet, et comprehendat,intelligit ſane,et conſequitur innumerabilia, et infinita . Nec quod Dei potentia tota fuerit profuſa , et veluti exhauſta in hoc vno mundo

[a] *Hæc manifeſta ſunt ex paruis Logicalib. in terminis; Incipit,& deſinit.*

[b] *Vt Leucippus, & Democrit. temere aſſeruerunt.*

efficiendo, vel quod [a] non poſſit eſſe factibile quidpiam mundo melius. quoniam potentia Dei inexplebilis eſt, ac omnino [b] inconſumptibilis.Et licet maximus mũdus ſit,vt qui cum finitus ſit,ſimilis tamen infinito eſſe videatur;pulcherrimus,elegantiſſimus eſt,et in quo Dei potentia,bonitas,et ſapientia quaquaverſus reſpondet.Non tamen hoc eſt,quo cogitari,aut effici adeo maius quidpiã, et pulchrius,et elegantius ſimpliciter non poſsit:fulget,fateor,in eo omnipotentia, ſed tamen longe fulgentior,et rutilantior prodit in modo quo illum opifex condidit: nimirum ex nihilo. Vnde hic, et in reliquis æquiuocis cauſsis deficit communis propoſitio Philoſophorum; A quantitate effectus cauſſæ quantitatem cognoſci. Et quidem, ſi optime hunc efficiendi modum ſpectemus, non ſolum illum mundo quidpiam ſublimius iudicabimus,verum [c] etiam iuſtificatione peccatorum maiorem poteris affirmare. quamuis in hac factum longe reuera excellit,et præeminet.Cum igitur immenſa,et infinita ſit Dei potentia;ac proinde nulla ſpecie rerum,nullo opere, etſi præcellẽti,ſublimi,excelſo,vel exhauriri,vel extenuari aliquando poſsit:et ſi darentur orbes innumeri,mouere eos Deus ad nutum poſſet.ſola propterea eius bonitas vndique exuperantiſsima ſibi Angelos motores orbium, et earum rerum, quæ motu eorum fiunt, cooperatores aſciuit: (vt inferius dicam) non vero vlla aut indigentia, aut neceſsitas, ſola eius voluntas, ſolaque libertas cauſſa præcipua extitit vnitatis mundi.quamuis et ei,et mundo ſic congruiſſe, rationes non leues adducere vobis [d] poſſem. Quæ item voluntas, vt minime limitatur ad certos effectus producendos;quippe quæ illos omnes velle poteſt,quos intellectus ei tamquam bonos propoſuerit; et hic comprehendit infinita,et ea proponere poteſt volun-

tati

a Vt Ambroſ. Catheri. indicare videtur in fine huius cap.

b Vt docẽt Theologi, et grauiſsime probant 1. diſt. 37. & 40.

c Atq. etiam redemptione hominũ facta per Chriſtum Dominũ: ita docet Aug. ſuper Ioan. 14.

d Tales adducuntur & a Philoſophis, & a Theologis. vide S. Tho. 1. p. q. 47.

tati:ita ſane,ſicut ſumme libera eſt,ſummeq. ſapiens; ſola etiam quantitatis, corpulentiæq. cælorum, ſiderum,et elementorum, tantæq. eorum abinuicem diſtantiæ, eorumq. pulcherrimi ordinis,quem perſpicimus; ac poſtremo tot ſpecierum, et rerum vtriuſq. claſsis: earum ſcilicet, quæ incorporeæ ſunt, quæ Angeli vocantur; et quæ corporeæ ſunt, et vel miſta imperfecta dicuntur, cuiuſmodi ſunt omnes aereæ impreſsiones, quæ in ſublimi gignuntur(vt inferius dicam)vel perfecta,vt lapides,plantæ,animalia,et non plurium : et cur certo dumtaxat,et a ſe definito tempore, hominum, et rerum illarum ſublunarium, de quib. dixi poſtmodum me eſſe tractaturum, generatio,et interitus conſiſtent,aſsignatur cauſſa. Etſi enim corporibus debeatur locus, quod quanta, extenſaq. mole ſint;ac ſitus,quod vel grauia,vel leuia:nulla tamen vobis a me afferri ſolidior ratio poteſt, a Dei voluntate, et ſapientia; cur,ſcilicet,non maiori, vel minori craſsitie conſtent ſingula;atq. proinde,cur ea definita abinuicem diſtantia fuerint collocata;et cur vel maiorem,vel minorem durationem,et conſiſtẽtiam ſiderum conuerſionib. et quæ illis ſubiiciuntur,ſenſilibus rebus aſsignare voluerit.Cum itaq. magnus ſit Dominus,et magna virtus eius; ſapientiæ quoq. ipſius non erit numerus,non limes, non terminus, non finis: et quamuis ea ipſa in hoc mundo ſplendeat, ac illum tradiderit noſtris diſputationibus, et eum poſuerit in corda noſtra, cũ nos ad ſui, hoc eſt,Dei *Eccleſ.3.* inſtar fecerit; mente videlicet,et acumine ingenii præditos; qua quidem mente de mundo excurrimus, ratiocinamurq. docti,et indocti; cicures,et feri; Chaldæi,et Hebræi; Græci, et Barbari: ſiquidem omnes natura ſcire deſideramus: et proinde inueſtigamus eius cauſſas, affectiones, conſiſtẽtiam, magnitudinem, partes, originem, dura-

durationem: de iis enim ſolent homines ambigere, perſcrutari,et diſputare: nihilominus tamen,ſi viribus naturæ noſtri intellectus nitamur,homines hoc ipſum,videlicet,quando mundus hic effluxerit a ſuo opifice Deo, an ab æterno,vel initio temporis; num ſempiternus futurus ſit,an vero aliquando deſiturus; quantumq. temporis ab initio vſq. ad finem eius decurſurũ ſit; hoc profecto minime conſequi valemus. Nec voluit Deus Opt. Max. vt homo,vel inuentione,vel diſciplina, id eſt, viribus dũtaxat naturæ,vllo vmquam tempore certo conſequeretur. *Ecclеſ.1.* dies enim ſæculi quis (naturali ſcilicet Marte) enumerabit? Problema igitur æternitatis mundi admodum difficile a eſt:lumine tamẽ diuino illuſtrati,certiſſime ſcimus, tradimusq. vobis,initio,et momento indiuiſibili temporis mundum incepiſſe,et ab opifice ſummo fuiſſe conditum.Reliqui autem mundi ſtatus,eiusq. periodi mediæ, et poſtrema, earumq. duratio, cum Pater cæleſtis in ſua ſita ea omnia voluit eſſe poteſtate, minime vobis curæ *Actor.1.* eſſe debent: cum non ſit noſtrum,abſq. Dei reuelatione, noſſe tempora,vel momenta,quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.Atq. ea propter,non eſt cur in præſentiarum tempus teramus in enumerandis vobis annis, numeroq. eorum,qui ab initio temporis quo mundus fuit productus, vſq. ad hanc diem decurrerunt.Sed hoc vobis tamquam minus referat,in ancipiti habetote; ac multo magis,quãtum ſit mundus iſte duraturus.Probe enim,ac magnopere conſultum iri hominib. exiſtimandum eſt,ſi vel penitus ab huiuſmodi perſcrutatione abſtinuerint: aut certe ſi minus anxii,minusq. ſoliciti in ea tractanda, et examinanda fuerint verſati. Erit enim dies ille mundi poſtre- *Lucæ 17.& 21.* mus,ſcilicet,improuiſus ſicut fur,abditus veluti laqueus, ſubitus quemadmodũ fulgur;ac poſtremo conſumptor, depo-

a *Ita docet Ariſt. 2.Topic.*

depopulatorque hoſtium Saluatoris noſtri Dei, tamquam ignis. Quibus omnibus, omnes homines, doctos pariter, et indoctos, ab anxietate, et vigilantia in præfinienda illa die compeſcere volumus. Atque ſi qui in hac re exploranda fuerint auſu temerario Dei maieſtatem ſcrutaturi, noſtris his verbis deterreantur. quamobrem, ſedulam omnes impendamus operam, vt iugiter nos eſſe morituros reminiſcamur. Eo etenim die, quo quiſque noſtrum vita fuerit functus, eo ipſo ſigillatim iudicabitur; eo ipſo ſibi mundus, ac tempus conſummabitur: in eo cum vita, et ſalus; tum etiam mors, et damnatio omnium hominum ſita maxime eſt. hic, hic dies eſt, quem pauide expectare cum primis debemus. Nec ſolum præterea opifex in capitulo illo, et primo temporis momento cælum, et terram, et quæ inter ea intercluduntur ſimplicia corpora, videlicet elementa, creauit; ſed etiam ſimul cum his quaſdā alias ſuperiores iis multo creaturas incorporeas produxit, easq. in maximo numero: quę quidem inſignem mundi partem conſtituunt; vtpote quod regant, et ornent omnia corpora ſua incorporea virtute. Non enim rationi conſentaneum fuiſſet, vt præcipue vniuerſi partes vno momento, eademq. actione non eſſent conditæ, et connexæ. Vt ſicut opifex vnus eſt, opificiumq. dūtaxat vnū, id eſt, vnus non niſi mundus: ita quoq. vna tantummodo debuit eſſe actio, qua de non eſſe ad eſſe prodierint. ſed et pars extra totum imperfecta, et mutila cenſenda eſt. Igitur per conſequentiam quandam iam vos intellexiſſe me arbitror, harū creaturarum, ſcilicet Angelorum geneſim nomine cæli, et terræ, aliorūq. ſimplicium corporum, quæ primo temporis momento ab opifice dixi fuiſſe creata, comprehenſam fuiſſe. Qua etiam conſecu-

Prouerb. 8. Curioſos nāq. atq. agentes plurima, odere diui. Dictū eſt Euripid. apud Ariſt. 6. Ethicor.

tione intelligẽdum vobis eſt, me eiſdem geniturām motus cæli, et temporis, ſimul cum cælo editam, fuiſſe complexum. Vna enim, et eadem actione ſubiectum, et eius paſſiones agens omne producit. Itaque hoc ſemel vobis perſuaſum velim, me in hac hiſtoria geneſis rerum, vti et in aliis, quas vobis tradidero, permulta lectorum intelligentiæ, et prudentiæ relinquere; idq. conſulto: quod mihi perſuaſum habeam, illa vel ex iis quæ prius fuerint a me recenſita, poſſe facile in notitiam venire; vel etiam aliunde poſſe auditoribus, ſeu legentibus eſſe [a] manifeſta.

TERRA AVTEM ERAT INANIS ET VACVA. Omiſſo autem tantiſper nunc cælo, nobiliori multo ipſa terra, ad qualitates ipſius terrę explicãdas ſermonem conuertamus: quomodo, ſcilicet, tunc primũ terra eſſet affecta. Nec ſane inconcinna narratio, et præpoſtera vobis eſſe videatur. Terræ enim elementum nobis manifeſtius cælo eſt: et differendi methodus requirit, vt a nobis notiorib. ſermonem auſpicemur. Nec rurſum inconuenit aliquando alium ordinem ſeruare in explicandis propoſitionibus, quam ſeruamus in [b] proponendis. Quid, quod elementum terræ etſi craſſiſſimum, et ignobiliſſimum ſit, eſt tamen medio axe libratum, atque adeo centrum, et medium mundi: ac proinde cauſſa cur cælum (quod eſt eius circumferentia) circa ipſum perenniter, et vniformiter cieatur. Quamobrem nemo veſtrũ hinc conſequi non intelligit, terram eſſe quadamtenus priorem cælo, ac tamquam cardinem cui [c] incumbit. Vt ſi ſeorſum Deus alterutrum cõdidiſſet, prior fuiſſet terra. Sic enim in ædificio fundamentum initio iacitur, deinde autem cèteræ partes ſtruuntur, ita in præſentiarum [d] philoſophandum eſt. Non ergo definit eſſe rationi conſentaneum, omittere parumper nũc cælum; et de terræ quali-

litati-

a De hāc diſputatione. ſ. cur ſuppreſſit Moſes creationem Angelor. vide Vielmium de opificio ſex dierũ lectio. 7. maxime in fine.

b. Patet hoc Pſal. 150. Matth. 1. initio Romanorũ 4. verſib. multis. nã cũ inſtituiſſet hãc theſim probare, quæ duplicis partis eſt, videlicet, arbitramur hominem iuſtificari per fidem, & non ex operib. legis, quã propoſuit in fine cap. 3. in cap. 4. probat primũ poſteriorẽ partẽ, et deinde priorem.

c Vt Plinius dixit lib. 2. cap. 66.

d Quod forte eruditis ſubindicauit Pſalm. 101. dicens, Initio tu Dñe terram fundaſti, & opera manuũ tuarum ſunt cæli.

litatibus cum primis modo diſſeramus.Etſi itaq. cælum, ac cetera intermedia ipſis interclufa,ſimul creata fuerint ab opifice,terra autem antequam eſſet ab aquis ſeparata, (ſub aquis enim infimo loco ſita,et creata tota fuit,et cõſtituta)erat vana,et vacua,et incompoſita:cum nimirum intus, et extra omnium rerum, quibus deinceps locupletata,et repleta,atque exornata a Deo fuit;inops,et expers penitus erat. Cum enim multarum ſtirpium, et plantarũ ſeminibus, grauiditatis, et fecunditatis capax ſua natura a Deo effecta ſit; et ad hæc lapidum,gemmarum, mineralium,atque id genus rerum complurium,concipiendi, et generandi capacitatem a Deo accepiſſet; cum vim ad hæc producenda nondum accepiſſet, intus inanis,vana, et vacua cenſebatur. Extra etiam ſic digna appellari viſa tunc eſt,cum eius extima ſuperficies, quæ cõſpicitur modo herbis,et arboribus,atque animalibus omnium generum,et cum primis homine(quibus eius extima plenitudo,et perfectio conſiſtit) careret. Carebat igitur iis tunc omnibus rebus intus, et extra,veluti adhuc eis infecũda, etſi non incapax, quibus vndiq. veluti repletur,et venuſtatur.Et cum hac vtraq. plenitudine hæc ipſa terra initio indigeret,ob id inanis,et fruſtranea erat; hoc eſt, indigna cuius aliqua haberetur ratio, ac ſi luculentius vobis dicerem.Vana externe,quod finem illum conſecuta nõdum eſſet,in quem fuerat creata, videlicet,vt vſui animalium deſeruiret; habitatores ſcilicet ſuos continendo.Etenim in vanum facta externe videbatur, quamdiu non habebat ſuos habitatores,et cultores.Atq. eadem ratione ſuis locatis,vel potius locandis animalibus deſtituta tunc exiſtens, reuera vacua eſſe videbatur. Tantundem etiam, quod plantis, et herbis quibus poſtmodum erat a Deo exornanda, et pulchra reddenda denudata erat, incom-

poſita vocabatur.Intus vero vana,et vacua tunc appellari digna fuit,quod et mineralibus,et aliis rerum ſeminib. carebat,quorum veluti vterus eſt,et locus.Deus namque cum elementa crearet, nequaquam ſolam mundi compoſitionem, et conſiſtentiam expetiuit; ſed cum primis mixtorum creationem, et præ illis formationem hominis,cuius cauſſa ſenſilem hunc orbem efficiebat.Ob idq. non creauit Deus terram,ac elementa reliqua ea tantum ratione,vt mundum conſtituerent;ſed et multo magis vt ex eis mixta, quæ ſubinde ab eo facta narrabimus, tamquam ex materia,et communi maſſa (figulus veluti quidam, et opifex) efficeret. Cui officio cum nondum illa deſeruirent,vana ob id, ſiue inutilia tunc fuerunt. hæc enim,quæ de terra nunc vobis ſplendide ſcribimus; ſimul quoque de ceteris elementis, per conſequentiam intelligenda ſunt.de ſimilibus enim idem eſt iudicium. Sicque etiam,quemadmodum nunc terra ſuam habet plenitudinem, et perfectionem omnē, tū ſcilicet intimam, tū etiā extimam; ſimiliter quoque reliqua elemēta ſuam nunc habent plenitudinem;nimirum aqua fructices, conchas, et piſces;aer ſimiliter ſuam,videlicet aues innumerabiles; et denique ignis [a] ſuam.Satis igitur fuerit vobis,me terræ qualitates explicaſſe, ad ceterorum elementorum qualitates explicandas (cum rudia adhuc eſſent) et manifeſtādas: quemadmodum iam in opere creationis omnium corporum ſimplicium, nomine cæli,et terræ, ceterorum productionem complexus fui.

[a] Si tamen malis geniis (ut multi docent,et Ioan.Grāmaticus 3. de generatione animal. in fine,et Pſellus lib. de hac re a ſe edito) plenus eſt.

ET TENEBRAE ERANT SVPER FACIEM ABYSSI. Et cum ſic res initio productæ ſe haberent; et prætérea terra,et omnia alia elementa nondum beneficio lucis ſplenderēt,(nondum enim prodierat lux in actu exercito,etſi in ſignato,vt ita dicam,ſimul

cum

cum cęlo fuit producta) tenebrę erant ſuper facies aquarum profundarum, omniquaq. et per gyrum, ac ex omni parte qua videri poterant. Nec ſolum aquæ hoc elementum, verum etiam omnia corpora hęc quę perſpicimus, cęca, et circunfuſa tenebris erant, et omnis lucis horribili quadam carentia circunſepta. quamuis enim ſol, et cælũ vna cum luce prodiiſſent (eſt enim illa proprietas, et paſſio corporis cæleſtis opaci) initio temporis: ſed non niſi in actu ſignato, vt dixi iam, non autem in actu exercito. Et ſol (cuius ea ipſa lux erat) [a] præſtantiſsimum ſidus, eſſet aptum quidem ſplendere in inferna corpora: cum tamen craſsiora magnopere eſſent, eorum vitio, et incapacitate contigit, vt non prorſus irradiarentur; et proinde factum eſt, vt tenebræ eſſent ſuper faciem abyſsi. Vſque adeo namque [b] erat perturbata, et craſſa tunc elementorum congeries; vt vetaret, atque obſiſteret, ne ſolis radii ad terram vſque pertingerent. Actus enim omnis, cum induci debeat in ſuam potentiam, et materiam, aptatam tamen, et præparatam; et lumen ſit actus perſpicui, elementa omnia ſic craſsiora cum exiſterent, nequibant lucis, id eſt, ſolis lumine illuſtrari. hæc autem corpora vſque ad quartam diem, de qua inferius eſt nobis habendus ſermo, etſi vtcumque fuerint ab opifice aptata, non tamen penitus. Quapropter, nullam omnino ſplendidam, et ſerenam diem, ante quartam fuiſſe, poteſtis exiſtimare: ſed omnes obſcuras, et [c] caliginoſas. Non igitur lucis ſplendor tunc, ob rationem a me traditam, vſque ad elementa, et hæc corpora inferiora pertingebat: ſicque omnia erant vndique tenebris obuoluta. Cuius rei imaginem haud raro in præſenti multoties nobis refert, denſiſsimarum nubium inter ſolem, et terram interpoſitio: qua aliquando aerem

a Hæc.n.eſt ſententia D. Dionyſ. 4. cap. de diuin. nominib. qui ſine figura, & ſimpliciter dictũ intelligit de ſole, vel ſolis luce, quæ de lucis productione initio huius cap. dicũtur: quæ ſequuntur S. Th. 1. q. 67. et eruditiſsimi recentiorum.

b Hæc aſſerit Rabbi Moſes. 2. de ani. tex. 69.

c Hæc eſt ſentẽtia D. Baſilii, et Rabbi Moſis; etſi oppoſitũ teneant Auguſt. Steuchus, & Magiſter 2. d. 3.

ita interdiu obſcurant nebulæ, ac nigreſcunt, vt nox magis quam dies nobis eſſe videatur: et noctes obſcuriſsimas ſimiliter, atque horridas ſæpenumero faciant. Nubibus enim [a] atris, candida nullum fundere poſſunt ſidera lumen. Atque huius rei veritatem maxime etiam probant denſiſsimæ illæ, et palpabiles, quas nos omnes vidimus, Deo operante pro nobis, Aegyptiorum tenebræ.

a Ita canit Boethius.

ET SPIRITVS DOMINI FEREBATVR SVPER AQVAS. Tenebris ergo hæc omnia corpora cælo inferiora circunfuſa cum eſſent; aeris elementum, qui et ventus, et ſpiritus, ac flatus Domini, ab eo ſcilicet productus, et creatus dicitur; in proprio ſitu, et loco vbi creatus eſt, atque iugiter perſiſtit: tunc ſuper ipſas aquas incubabat, non commotione aliqua, quemadmodum venti commouentur: ſed ſuper omnes aquarum ſuperficies ferebatur, hoc eſt, lente quodammodo; vt gallina cubat [b] ſuper oua, et vitalia reddit, exili quodam motu quaſi volitando, ſuper eas mouebatur, ſuapteque natura, et forma ſe motabat, et agitabat ſeſe. Non enim exiſtimandum, tunc temporis aeris elemento nullum adfuiſſe motum: adfuit tamen exilis, et qui ventorum comparatione poſſet quies appellari. Quo aere ſic ſuper aquas incubante, ac ſeſe agitante, et mouente ſuper omnes aquarum ſuperficies, non dubium eſſe vobis debet, quin opifex ſummus voluerit ſanctum ſuum Spiritum ſignificare, qui a ſe, ac Filio ſuo, vt amor, et nexus amborum per voluntatem procedit: quaſi ipſum incubantem, et ſeſe agitantem ſuper iſta elementa, quaſi animo ſecum voluentem, et cogitantem formare ex eis ſtirpes, et animalia, atque hominem, et mixta reliqua:

b Ita Baſil. et Diodor. & multi alii. Quod Hiſpane diceremus, Ventiſqueaua ſobre las aguas.

atque

atque adeo de venuſtando, et ornando mundo ſecum proponentem. Etſi enim hæc fuerit Patris, et Filii, et Spiritus ſancti communis, et eadem prorſus cogitatio, et veluti cura, quibus et creatio fuerat communis: Spiritui tamen ſancto incubatio hæc appropriatione quadam adſcribitur: quoniam hæc ipſa cogitatio a ſola Dei bonitate, et amore emanabat. Quæ Spiritui ſancto optime appropriatur: (hic enim necdum a Patre, et Filio per modum amoris procedit, verum etiam et de eius erga nos amore edocet, ac teſtatur: ipſe enim teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei) opifex enim Deus non niſi ſua bonitate ductus, omnes creaturas effecit. Ac rurſum, non temere deſcendit in a opus; ſed noſtro modo intelligendi, tamquam faber, et artifex, veluti cogitans, videlicet, ac ſecum præmeditans, quo modo mundum crearet: et creatis elementis, quo modo ex illis, tamquam ex rudi, et indigeſta maſſa, omnia faceret. Incubatio igitur hæc, et latio ſpiritus, et aeris Domini, non modo eius amantem voluntatem, (vt ab amore notionali ipſius Dei ad ſubſtantialem tranſeamus) nobis inſinuabat: ſed etiam cogitationem, et meditationem, et artem de abſoluendo, et venuſtando mundo, iuxta exemplar quod animo gerebat, declarabat. Quæ omnia Spiritui ſancto hic aſcribimus; quoniam voluntatem, amorem, ci adhibito conſilio, et plane crebro, appropriare debemus. declarabat, inquam, tunc ſe omnia fouere, cogitando veluti ornare poſtmodum, ſcilicet, cogēdo aquas ad locum vnum, et terram exſiccando, vt commodius herbas, et plantas ex ſe emitteret, quas tunc aqua impediente producere non poterat. Et vt animalium, maxime hominum, habitationi eſſet accommodata.

Roma. 8.

a *Sic de Deo philoſophatur* Plato in *Timæo.*

DIXITQVE DEVS, FIAT LVX; ET FACTA EST LVX. Audiſtis iā a me, mūdi huius creationem factam eſſe a ſummo opifice Deo; atq. in principio temporis: et quæ ſint ab eo effecta præcipua corpora mundum conſtituentia, cælum videlicet, et elementa: Nunc modum accipite, quo hęc omnia ſummus opifex effecerit. Cum enim talis initio eſſet terra, quemadmodū diximus, videlicet rudis, et incompoſita, ac tenebris prodigioſis obtecta: ſimiliter et reliqua elementa eſſent eodem modo affecta: necnon etiam et ipſum cælum abſq. luce in actu exercito tunc extitiſſet: atq. adeo ſuo modo terræ non diſſimile, hoc eſt, inornatum, et inuiſibile; (ſuper hāc enim totam [a] abyſſum, quæ corpora omnia quę a conuexa primi mobilis ſuperficie ad terram vſq. continentur; quæ tāntæ ſunt profunditatis, vt penetrari, cognoſciq. ab homine non poſſint; comprehendit, tenebræ inſidebant) et Deus ſummus, et optimus rerum opifex, optimus et pulcherrimus eſſet, ſemperq. ſit; atque adeo vellet omnia eſſe et bona, [b] et pulchra: e veſtigio ad vtrumque corpus perficiendum, cælum ſcilicet, et terram, ornandumq. progreſſus eſt. Et a lucis formatione ideo inchoauit, quod ea cetera omnia corpora inſpiciantur, et manifeſtentur: et illa ſubſtracta, cęca ſint omnia, et vix quidpiā ſit, quod ornatum dici poſſit. Item, quod cælo, et terræ, corporibusque reliquis neceſſarium, ac firmum ſit præſidium: ea namq. omnia indigent ſicut et motu cælorum: vt proinde cuncta ſint lucis participia, et eorum hoc ſit commune bonum, et ornamentum. Vt admirari nemo propterea veſtrum debeat, ſi ſingulorum propria ornamenta iuſſa ſit ab opifice anteire. Ac præterea, dies abſq. luce eſſe non poſſunt; et tamen decreuerat Deus (vt vobis explicabo) ſex dierum interuallo omniquaque mun-

a *Nomine abyſſus intelligūtur et elemēta, et cæli, præter primū mobile.*

b *Ita ait Plato in Timæo.*

dum abſoluere. Minime enim ei placet in tenebris operari. Oportet igitur nos nũc, ab opere creationis ad opus diſtinctionis tranſire. Et poſtquam hactenus de mundi creatione, eiusque rudi conſiſtentia ſummatim egimus: nunc primum ad eius partes, et ornamenta illa explicanda nos præparemus. Quibus ita ab opifice concinnatus, atq. expolitus fuit, vt nil ſit eo elegantius, nilque amplius poſſit illi humana ratio optare. Cum itaq. huc vſq. rem [a] ipſam, prout geſta fuerit, vobis expoſuerim, ſcilicet, ipſam mundi creationem; et a quo, nempe a Deo; et quando, videlicet in principio temporis; et quĩ eſſent affecta corpora mundum conſtituentia, nimirum abyſſus tenebroſa: iam supereſt, modum ipſum deniq. vobis explicare, quo opifex iſta omnia effecerit; verbo ſiquidem lucem effecit, mundumq. ornauit: atque adeo et dicẽs hunc ipſum creauit. non enim rationi cõſonat, vt non vno, eodemq. modo et ornauerit mundum, et condiderit. Igitur verbo ſuo Deus omnia fecit, et expoliuit. Qui enim dicit, profert ſane verbum aliquod. Non quod Deus tunc ſermone externo fuerit locutus, vt lux prodiret, et emergeret in actum, illuſtrando corpora iſta quæ nunc eam participant; ſicuti nunc homines, et me loqui perſpicitis. hoc enim conſtanter negare [b] debetis: quod tunc nulla eſſet lingua qua loqueretur: et ſi poterat Deus illam ſibi formare, fuiſſet ſuperuacaneum, cum̃ nemo eſſet qui audiret, atque perciperet. Vox [c] enim propter auditum eſt, et auditus propter vocem: vbi autem non eſt aer, non lingua, non auris, non meatus intortus ad ſenſum in capite deferens ſonos, aut ſtrepitus; cuiuſmodi minime tunc adhuc erant, ibi neq. verborum vſus eſt. ſed ex ipſis intra cor conceptis, vt ita dixerim, cogitationibus voluntatis, traditio contingit. Non ergo dixit Deus, vt lux prodiret,

a Hæc ſunt actus moralis circũſtantiæ, quas annaliũ ſcriptores ſine vitio præterire non poſſunt; ſcilicet, factũ a quo, quomodo, quãdo, & cur: & medii quæſtiones ſunt; an ſit, quid ſit, quale ſit, & propter quid. quæ omnia elegantiſsime, et accuratiſſime obſeruat Moſes in hac hiſtoria.

b Vt conſtãter negat Ambroſ. 1. lib. Hexam. c. 9. Aug. 1. lib. ſuper Geneſim cap. 2. et 4. & Baſilius, & fere omnes antiqui; & Magiſter, & oẽs ſcholaſtici 2. d. 13. & Rabbi Moſes.

c Verba ſunt Baſilii homil. 3. oppoſitum autem tenẽt Theodoretus, Irenæus lib. 5. Lactãtius lib. 4. c. 6. & alii quos cõmemorat Barcepha p. 1. c. 28. quos mordicus ſequitur Olea-

ſter, docens Deum ſibi confeciſſe humanã quandã effigiem, & ore tenus cũcta pronũciaſſe quæ de eo hoc cap. ſcribuntur: ſicuti quando cũ Adamo fuit locutus. Sed certe nõ eſt vtrobique par ratio. ideo valeant iſti, ac Hieron. ab Oleaſtro amplectẽs horum ſententiã.

verbo aliquo externo: ſed eo ipſo, quo ſpirituales, et ſupercæleſtes creaturas dicendo condidit, ſcilicet, interno mentis verbo: eodem etiam profectò reliqua omnia formauit. Nec enim toties Deus dixit, Fiat illa, vel illa creatura, quoties in hac narratione geneſis rerum vobis referã. Vnum enim eſt Dei verbum, per quod facta ſunt omnia, et quo ſecum ab æterno adiudicauit, ſuã condecere bonitatẽ, et gloriã, mundum certo temporis initio condere, et perficere: ſuęq. voluntatis decreto ſanciuit. Atque hoc verbo dicere mundum, et creaturas producere dicendo hoc verbo, actus fuit iudicatiuus diuini intellectus practici, cum amore: atque adeo qui eſſentialiter Deo cõuenit. Et proinde hoc dicere Dei, eſt non ſolius Patris, quaſi ſit notionale pro gignere acceptum: ſed totius Trinitatis, commune omnibus perſonis. Quod et voluntatis approbationem includit. Deus itaq. ſapientiſſimus mundi opifex, cognitione æterna ſuæ ſapientiæ, atq. adeo voluntarie, qua verbo ſuo intellectuali inſtituit res omnes producere, vel creare, illo initio temporis ſupradicto: tum etiã ſua omnipotẽtia diuina, quæ ad faciendum quod voluerit, nullam neceſſariam prẹſupponit materiam: ſed etiam habet imperium circa Nihilum; et vocat ſimiliter ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt; cuiq. quodcumq. facilius eſt factu, quam nobis dictu: ſine labore, ſine motu, et abſq. vlla mora, dixit quę creauit, et facta ſunt. Ideo quoniam ab æterno dixerat ipſe Deus ſuo illo intellectuali verbo, tunc primum, illo ſcilicet initio temporis, quod per dies, et noctes diſtinguitur, et illis conſtituitur; fiendã eſſe lucem, atq. emerſuram ex ſolari corpore, tamquam ex proprio ſubiecto; (quæ quidẽ non eſt corpus aliquod, ſed nobiliſſima qualitas corporis cæleſtis, quæ ab intimis procedit corporis luminoſi; atque qualitas realis, et ens

reale

reale eſt (nobiliſſimum ſane obiectum potentiæ viſiuæ) naturæ quodam ductu,et ſequela,abſque actione media effluens a iubare,habẽsq. eſſe a intentionale in perſpicuo) protinus hæc et citra vllam cunctationem tunc prodiit, et producta eſt lux,factaq. a Deo, et ſortita eſſendi nouitatem in rerum natura. decreti enim eius executionem nemo impedire potuit: volũtati namq. eius quis reſiſtet, cum ſermo eius omnipotẽs ſit?Vt admirari profecto nemo debeat, ſi natura,humilima veluti ſeruula, protinus Deo iubẽte obtemperauerit.Tametſi nec grandius quidquam,nec auguſtius de Deo vel dici vobis, vel etiam intelligi,hac oratione poteſt:*Dixit Deus,Fiat lux;et facta eſt lux.* qua opificis mundi dignitatem, amplitudinem, et decorem vobis mirum in modum commendatum eſſe volumus.Quid,quod mundus inuenuſtus erat,et cæcus;iubet Deus vt videat,hoc eſt,vt fruatur luce,ac ceteris ornamẽtis? quidni igitur natura confeſtim non obediret?quid enim aliud illa magis expetebat, et veluti ante omnia deprecabatur; cum in tenebris eſſet,et cæca; quam lucem? Ob idq. hoc intelligens opifex,inquiens,Fiat lux,hoc ſibi voluit.Naturæ b deſiderio fiat ſatis.Ita tamen hæc intelligite,et ſimilia,quæ inferius a me vobis proponenda ſunt: vt inter dicere diuinum, et effectum ſubſecutum,videlicet,lucem productam; nulla noua actio interceſſit,quãuis fuerit noua rei productio: in opifice autem Deo non fuit noua actio. ſed per æternam eius notitiam, qua res omnes facere decreuit,factæ ſunt in tempore. Sic itaque facta eſt lux, ſic eſt effectus ſubſecutus ad diuinam illam ordinationem, et diuinum illud decretum. Prius tamen nominauit Deus lucem,et cetera ferme omnia,quam eſſent,et ea efficeret: ea propter quod ipſe ea omnia antea cognouerit, et hæc ante quam fierent,quadam tenus ex-

a *Ita tenent meliores ſcholaſtici. vide Soncinam 7. meth.q.9.*

d *Ita Ambroſ.Catherinus.*

titerint. Quod enim prorſus non eſt, nec nomen vllum habet. Nominãtur autem lux, et cetera, vt deinceps dicemus, ante quam creentur: modo igitur quodam extabāt. nullibi autem extare poterant, præterquam in ideis diuinis: atq. adeo, idem prorſus eſſe tunc habebāt cum Deo. Vnde compertum eſſe vobis debet, ſicuti ex reliqua huius narrationis geneſis rerum ſerie aperte licebit colligere; ideas omnium rerū eſſe in Deo. In ipſo enim viuimus, mouemur, et [a] ſumus: idq. verius, quam ſimus in nobis. Exemplar enim Ioſephi depicti, quod eſt in mente artificis, verior Ioſephus eſt, quā Ioſephus ille depictus, et exēplatus: et prius habuit eſſe, quam exemplatus, et pictus: et eſſe reale, niſi inſaniamus. Ille enim eſt abſolute Ioſephus, exemplatus vero nuncupatur Ioſephus depictus; vel imago, et figura Ioſephi. Sic propemodum, cum lux noſtra hæc qua fruimur, et cetera queq. omnia, diuinarum idearum exemplata, et imagines ſint; oportet, vt longiſſima, latiſſimaq. [b] perfectione ab ipſis rebus abeant. Cūq. Deus ſimpliciſſimus, et vnitiſſimus ſit; neceſſarium quoq. eſt, vt ibi hæc omnia cum Deo vnum ſint: etſi noſtra ratione ab illo ſeiungantur. Lux itaq. (quam ab æterno fuiſſe in mēte diuina, nobiliſſimo eſſe diuino, atq. adeo ab ęterno ab opifice cognitā, antequam exiſteret in rerum natura, cōſtantiſſime affirmamus) ſimul cū cælo, ac ſolis ſidere, cuius eſt proprietas; in primo tēporis momēto, quo Deus cælum, et terram creauit, producta eſt. Non tamē ſtatim ſplēduit in corpora diaphana, cælos, ſcilicet, et elementa: eorū enim impuritate, et craſſitudine contigit illis, vt non lucis ſplēdore irradiarētur, donec illa Deus optimus opifex quamprimum perficeret, et quaſi extergeret, et veluti ferruminaret: ſicq. iuberet, vt lux iā producta, in actu exercito prodiret, atq. fieret actu illuminans totam abyſſum

a *Acto. 7. Ita D. Anſelmus.*

b *Ita D. Dionyſ. de diui. nominib. Lege S. Tho. p. p. q. 15.*

antea

antea tenebris ſuo vitio obuolutam. Et hoc eſt quod fuit ad illud diuinū imperium, quo dixit Deus, *Fiat lux*, ſubſecutū; non ſcilicet noua lucis productio, quæ iam cū cęlo, et elemētis fuerat producta: ſed noua executio, aut nouū exercitium ſuæ virtutis illuminatiuæ. hanc enim proculdubio ſol accepit ab opifice in ſui conditione, etſi nō ſtatim illam penitus exercuit in corpora diaphana, ob eorū imperfectionē. ſic enim placuit Diuino opifici res omnes producere corporales, vt non ſtatim initio ſuę condicionis omnib. numeris abſolutę, et perfectę prodirent: quinimmo imperfectæ, vt latius inferius explicādū ſigillatim.

ET VIDIT DEVS LVCEM QVOD ESSET BONA. Iam attente animaduertite, qualis, et quanta fuerit lux iſta ab opifice producta. habuit ſiquidem longe omnium præſtantiſſimum præconem; ſiquidem habuit Deum encomiaſtē, approbatorem, et laudatorem. Adeo vt in ea laudāda, cuiuis ſuperuacaneum ſit, operam, et diligētiam ſumere. Lucem itaq. hanc, quā produxerat Deus in corpore ſolari, tāquam in proprio ſubiecto, quamq. viderat, et nouerat in ſua diuina mente, ac idea illius, ſuoq. intellectu diuino eam fecit, poſtquā illam produxit, confeſtim vbi antea eam viderat, ibi poſtea eam [a] vidit (non enim a rebus cognitionem capit, quin potius res ipſæ ab eius notitia eſſe, et [b] reliquas perfectiones habent) non ſolum contēplatiua cognitione, ſed practica, hoc eſt, quæ a volūtate acceptata fuit; (omnia enim quęcūq. voluit Dñs fecit) vidit inquam ſcientia viſionis, qua non tantū quidditates rerum quę ſunt contemplatur, ac naturas; ſed etiam exiſtentias: ac non modo in vniuerſum, et generatim; ſed etiā in particulari, et ſigillatim: hanc nimirum, et illā ſubſiſtentiam, hæc accidentia, has circūſtantias, et deniq. ſingulatia omnia exacte, quemadmodū viſione a nobis fit:

[a] *Ita ſcite Auguſt.*

[b] *Ita 12. metaph. tex. 51.*

(quidquid enim exiſtit, ſingulare eſt) et hac ſuæ viſionis ſcientia,lucem a ſe factam conſiderauit,ac veluti (vt more noſtro dicam) examinauit, exegit, et ad ſuam ſapientiam,et voluntatem applicauit: atque ita ſuo aſpectu, et iudicio laudauit,et inſtituto ſuo eſſe maxime accommodatum cognouit:atq. ſibi,et ſuæ voluntati complacuit in opere ſuo; ſcilicet,in luce,quam ad mūdi ornatum produxerat. Non enim eſt illi alia vel certior, vel ſuperior menſura rerum omnium,prę ter ſuam ſapientiam,et voluntatis ſuæ inſtitutum.Quapropter omnia opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius.Nec volo vos exiſtimare, hinc aliquam notitiam in Deo fuiſſe poſteriorē operis executione: ſed æterna cognitio,qua præuidit lucē, et reliquas omnes creaturas adæquabiles eſſe formis, et ideis a ſe conceptis; illa eſt diuina approbatio.Quemadmodum ergo optimus,et ſapientiſſimus quiſq. artifex qui ſua opera ſucceſſione quadam perficit; primo apud ſe diſponit,ſecundo efficit, tertio examinat, et approbat: ſic in Deo Max.et Opt. hæc omnia intelligite, quoties in hac rerum geneſi vobis Deum dixiſſe, feciſſe aliqua, atq. examinaſſe,et approbaſſe deſcripſerim.quę maxime memoriæ commendanda obſecro,ne eundem lapidem ſæpius reuoluere cēſeamur.hoc vno excepto,quod in Deo non ſucceſſione,ſed ſimul hęc omnia fieri,credendū eſt: tametſi ſucceſſione quadam vobis enarrentur, quod ea ſimul vobis enarrare minime poſſimus.Lucem ergo a ſe productam cumprimum laudabit, quod eam bonā produxerit, ac talem ſecundum ſuam ſpeciem produxerit: quamuis ad vlteriorem perfectionem ſecundum virtutem,tunc ab opifice induceretur: ſicuti inferius videbitis in opere quartæ diei. Fuit autem tunc initio lux,ſecundū naturam ſuam ſpecificam, bona actiue, (vt ita loquar)

hoc

hoc eſt, cælis, vniuerſæq. rerum naturæ magnopere conueniens, conſentanea, et expetibilis: vtpote quia omnia corpora illuſtraret, et redderet ſplendida, variisq. perfectionibus decoraret. Vbi enim ea non peruadit, gigni fruges, et alia permulta non poſſunt, quæ ſunt animalibus neceſſaria, homini preſertim, qui paulo poſt cõditus fuit, cui hæc ipſa quoq. iucundiſſima eſt. Quale enim homini gaudium eſſe poteſt, ſi in tenebris ſedeat, et lumen cæli non videat? dulce enim eſt homini, videre ſolem. Quapropter in eius encomium has blandiloquas nomenclaturas, ſeu voces poſſumus ei tribuere: videlicet quod ſit vaga,[a] præclara, roſea, pura, pulchra, et id genus. bona igitur illa nobis magnopere eſt actiue. Nec id ſolum, ſed bona, ſtatim cum producta eſt, paſſiue fuit; habens ſcilicet in ſe ſuam bonitatem omnem, ſaltim ſecundum inchoationem. Sol namq. quem nomine lucis cum ſua hac nobiliſſima qualitate, hoc loco intelligimus, non fuit penitus abſolutus hac prima die; ſed [b] quarta dumtaxat, vt inferius dicam. hac vero die, et initio, quando producta fuit lux hæc, ſcilicet ſplendidiſſimus ſol, tantummodo accepit a conditore illuminandi vim, tẽpusq. diſtinguendi in dies, et noctes. Opus autẽ hoc ſuum, ſcilicet lucem productam, vidit Deus eſſe bonum: quod etiam de aliis operibus a ſe factis aliis dieb. vobis demonſtrabo. Id autem de Deo rerum omnium creatore, locis ſuis oportunis pronunciabimus: vt notum nobis fiat, Deum denique feciſſe ſingula, integra, et abſoluta: atque ita, vt ornamento eſſent mundo, et decori; ac etiam homini, et reliquis animalibus vtilia. Tum etiam id opifex effecit in eam gratiã, vt ſignificaret, omnia eius bonitatem ſuapte natura, et tamquam pro viribus exponere, et ſectari. Qua ratione lucem ſenſibilibus omnibus (vno homine excepto) præcelle-

Thobiæ 5. Eccleſiaſtes 2.

a *His vocib. lucẽ Poetæ exornarũt. vide multa de luce apud Hierony. Vielmium de opificio 6. dier. lect. 11. pag. 145.*

b *Ita S. Tho. & D. Dionyſ.*

cellere,minime dubitãdum erit: maiorem enim cũ Deo cognationem,et analogiam,ſecundum proportionalitatem tamen,hęc ipſa habet,quam ſenſilia reliqua:nõ modo rationibus ſupra iam dictis, ſed etiam quia eius natura huiuſmodi eſt,vt non in numero [a] ſit, non in mẽſura, non in pondere,vt alia omnia ſunt. Ac poſtremo ob beneficentiam:ſicq. frequentiſſime poſſumus eam de Deo affirmare.Eſt enim Deus lux vera,cuius hæc ſenſilis imago eſſe videtur: atq. adeo luci ideali hæc noſtra comparata,vera dici non poteſt.Ac preterea Deus eſt lux mundi,et tenebræ in eo non ſunt vllæ, hoc eſt,nulla deformitas,nulla maleficentia;denique nec poſſibilitas vlla eſt,vt non ſit ſicuti eſt.

a Ita Ambroſ. loquitur lib. 1. Hexamer. cap. 9.

Ioan. 1.

Ioan. 8.

ET DIVISIT LVCEM A TENEBRIS. Formationem autem lucis mox conſecuta eſt ſecretio, et diuiſio eius a tenebris. Idq. non ſolum natura:ſed etiã cauſſa, loco,ſitu,et tempore diſtinxit opifex eam a tenebris. Lux namq. iſta,quæ ſideri ſolis, ac ſubſtãtiæ eius inhæret,qualitas quædam nobiliſſima eſt ſecundum ſuam naturam : tenebræ autem huius priuatio ſunt. Deinceps, cauſſa lucis ſol eſt, cauſſa vero tenebrarũ terræ craſſities, et opaca corpulentia;cuius interpoſitionem inter ſolem, et nos tenebrę ſubſequuntur:atq. ideo noctis,et obſcuritatis primaria cauſſa eſt ipſa terra. Cum enim in medio mundi ſit,fixa ſit,immobilisq. maneat,atq. perenni motu ſol circa eam moueatur : fit vt ſua opacitate hæc vmbram emittat,et ſolis radios peruadere opoſitum orizontem non ſinat, noctemq. [b] efficiat . ſicq. obſcuritatis, ac tenebrarum præcipua cauſſa terra dicitur : ſol vero concauſſa, et per accidens. Quo fit,vt loco etiam lux a tenebris ſecernatur,quod perenniter ſol in vno;tenebræ vero (hoc eſt aëris lucis carentia) in altero ſint hemiſphærio:

b Quamuis terra dicta ſit a Platone in Timæo, dici, & noctis opifex, atq. cuſtos; alio tamen modo a terra, et a ſole vtrũq. efficitur: nam hic effulgendo, et emittẽdo radios, atque adeo per ſe; illa vero eos regerendo, & reflectẽdo, atq. ob id per accidens, diẽ efficiũt; hoc eſt, in cauſſa ſunt ut perſpicuũ illuſtre fiat. Quãobrẽ ſol præcipua dici cauſſa efficiens eſt: terra vero concauſſa, et ueluti ſine qua nõ. noctis vero e contrario ſolem, & terram, vt in hoc noſtro dicitur textu, cauſſas eſſe dicimus.

tempo-

tempore vero, quod lux, et tenebræ ſibi inuicem certa quadam [a] menſura ſuccedunt, ſtatutis, ac certis horis. Ab initio enim, et nunc, et ſemper in eodem hemiſphærio ſecundum vnam temporis partem, lumen eſt: ſecundum vero aliam, tenebrę. Hoc igitur modo accipi debet quod dixi, Deum diſtinxiſſe lucem a tenebris: quod Deus admirabili ſua ſapientia, ea magnitudine, loco, diſtantia, atque conſtitutione effecit ſolem, et terram; vt lux, et tenebræ in mundo oportune, et perēniter ſuccederent; et lumen diei a luce effectum, et noctis obſcuritas ſe inuicem conſequerentur: ita tamen, vt nulla inter hæc eſſet commixtio; ſed horum alterum, alterum pelleret a ſuo, quod peruaderet, hemiſphærio.

a *Ita Theodoret.*

APPELLAVITQVE LVCEM DIEM. Et lucem, non vt in ſolis ſidere eſt, ſed vt in perſpicuo, et ſuper vnum, et alterū hemiſphærium ſucceſſiue recipitur, motu quo rapitur a primo mobili, (cęlum namq. primo temporis momento quo creatum eſt, cuius lux eſt propria paſſio, ſtatim citra vllam cunctationem cœpit motu cieri) atq. eius decurſum in hemiſphærio appellauit diē: hæc enim ſola formaliter dies nuncupatur. appellauit, inquam, diem, quem artificialem vocare ſolent: qui ſolis ortu, et occaſu conſtituitur, ſiue terminatur. Etſi enim, vt vobis inferius dicam, primus parens omnibus rebus, tam naturalibus, quam artificialibus, ex ſciētiarum dono, quo Deus illi omnium rerum ſcientias, et cognitionem infudit, nomina impoſuit; vtpote qui omnia corporalia, et ſpiritualia a Deo cōdita, et eorum proprietates nouerat: opifici tamen Deo, tamquam auctori non ſolum [b] omnium rerum naturalium, verum etiam earum quæ hominum arte parantur, et ingenio fiunt; et omnia creata, et eorum nomina ſunt adſcribenda. Cum enim nominum

b *Ita, & docte Caiet. hic.*

impoſitio prodierit non ſolum ad res ſecernendas, ſed etiam ad earum facultates, et naturas indicandas: atque Deus cognoſcat non ſolum omnes ſubſtãtias, ſed etiam accidentia, ac habitus, et priuationes; et lux qualitas quædam ſit, et habitus quidam; et tenebræ ſint priuatio lucis: probe ſentiendum eſt, cum lucem, et eius decurſum in hemiſphærio appellare debuiſſe, ſicq. appellauiſſe diem.

ET TENEBRAS NOCTEM. Tenebras autē, vel earum occupationem in oppoſito hemiſphærio, quę eſt ipſa terræ vmbra, non qualiſcumq. ſed quæ ex ſolis ſubterraneo meatu efficitur, hoc eſt, in oppoſito hemiſphærio: dicimus eam appellare debuiſſe, ſicq. vocaſſe noctem. Quibus duabus partib. lationis, ſcilicet, lucis in hemiſphęrio ſuperterraneo, ac meatu eiuſdem in ſubterraneo, ex quo in oppoſito tenebræ ſubſequuntur, tamquam die artificiali, et nocte ei ſuccedente, diem naturalem coaleſcere voluit. Mirifice ſane, et ſapientiſſime. diei namq. et noctis viciſſitudine multæ proueniunt vtilitates, multaq. incommoda tolluntur. Die etenim homines in vnum coeunt, contrahuntq. ſua negotia tranſigūt tum communia, tum priuata; tum externa, tum domeſtica, et familiaria: nocte vero duris diei laboribus ſe expediunt, ſomnos dulciſſimos capiunt, quibus et corporis membra defeſa aliquantulum requieſcere faciunt. Et nihil minus verum eſt, quam Deum noctem effeciſſe, vt illa mortalibus noceret: atq. a nocendo dictam eſſe noctē aliqui [a] poſſent exiſtimare. Sed illam effecit vt prodeſſet, commodaq. permulta, et beneficia afferret mortalibus. Si enim [b] orbi vna perennis eſſet dies, quæ locum numquam nocti cederet; eſſet ſol viuentibus minime vtilis, ſed pernicioſus, et exitialis: nec eius calor foueret, ſed torreret; et res vniuerſas in cineres, et arenas redigeret.

De noctis cōmodis lege Pſal. 103.

a Vti exiſtimant Varro lib. 5. de origine verbor. Albertus 2. d. 13. & plures Theologi.

b Ita perpendunt D. Chryſoſto. & Theodoretus.

Quæ

Quę quidem incommoda,dierum,et noctium viciſſitudine auferuntur.

ET FACTVM EST VESPERE ET MANE DIES VNVS. Sic itaq. ſucceſſione lucis,id eſt, diei,et tenebrarum, id eſt,noctis,prrima et integra in orbem motione, ſecundum naturalem cælorum motum, factum eſt veſpere, tempus videlicet occiduum, et diei artificialis nouiſſimum, quod et ſerum vocari poteſt, et crepuſculum noctis: et mane, ſiue aurora,cum lux poſt occaſum ſolis iterum [a] viſa eſt; quod et crepuſculum dici poteſt,et quæſitio,ſiue diſcretio; quod tunc res a nobis inuicem diſcernuntur, et quæruntur; non vero noctu, quando omnia cæca ſunt,et videntur veluti latitare. Vnde et veſpere, ligamentum, et obligationem vocamus; quod homines tantiſper obliget feriari, et veluti inuitos etiam eos ad quietem, et ad operum, et laborum ceſſationem (quibus interdiu incumbunt) adducit, ac veluti manus ligare videtur,ne ciuilia obeāt negotia.orto enim ſole exit homo ad opus ſuum, et ad operationem ſuam vſq. ad veſperam: facta vero nocte, in ipſa pertranſeunt omnes beſtiæ ſiluæ. Fuit igitur, et factum eſt veſpere, et tempus occiduum prædictum, tamquam terminus conuerſionis ſolis ſuper totum orizontem rectum, ab ortu ad occaſum; et mane cum lux (vt dixi) poſt ſolis occaſum iterum viſa fuit,eodem ſole peruadente,et currente oppoſitum hemiſphærium, et ad punctum regreſſo vbi creatus eſt, et vnde cieri cœpit, dies naturalis, videlicet 24. horarum vnus. Qui et primus, ac ſane nobiliſſimus inter dies, et omnium princeps fuit. Ea ratione quod in eo, vel potius cum eo vniuerſum conditum fuit, ipſaq. lux iucundiſſima prodiit. Quibus apertum fit, lucem factam fuiſſe in motu ad illuminandam omnem terram, produ-

a Quoniā Latini res incertas creperas vocant; & cū veſpere, & mane ſint vel diei, vel noctis partes; & inſuper ſub lite ſit an diei, vel noctis ſint partes, ideo crepuſcula dicuntur.

Pſal. 103.

Videlicet in primo puncto arietis.

productamq. fuiſſe in corpore cæleſti in principio orientis:poſterius natura quam ſubſtantia corporis cæleſtis,ſimul tamen tempore, ac eodem inſtanti, quo cælum, et terra, elementaq. reliqua creata ſunt: ad motum primi mobilis ipſa decurrente,eodem ipſo momēto prædicto, ſuo motu rapto tempori initium dediſſe: illud videlicet, in quo Deus mundum hunc,quem cernitis (vt antea diximus) creauit.Ex quo continuo ſuo motu circa terram, cum fiant in hemiſphærio ſucceſſione quadam veſpera, et mane; inde conſurrexit, vt ſui motus decurſu, ſtatim cum producta fuit,effecerit vnam diem naturalem,viginti quatuor horarum ſpatii. Quæ integra conuerſio quædam eſt primi corporis mobilis, a qua lux motu rapto cietur.Quæ dies naturalis,ac reliquæ ſubinde ſubſequentes neceſſitudinem quandam habent,et analogiam cum anno ſolari. Nam et dies conuerſio quædam eſt primi corporis mobilis integra, ſicuti etiam integra ſolis latio ſub circulo zodiaco annus eſt. Qui certe quatuor præcipuas habet partes,eaſdemq. trimeſtres: verem,æſtatem, autumnum, et hiemem: quas capiunt omnes ab vtroq. æquinoctio, et gemino ſolſtitio. et earum cauſſa, totam cæleſtis motus refluxionem,tempus fore nuncupandam a [a] temperamēto,ſcilicet,caloris,et frigoris,quod mortalibus ſua circuitione adferunt,poteſtis exiſtimare. Atq. [b] earum geminam cælum nobis aperire, videlicet, verem, et æſtatem;a bruma,ſcilicet,ad ſolſtitium; quod tunc rerum generationis tempus nobis eſt, atque ſol ad nos accedit,ſuaq. terris beneficia impertitur,et cornucopias effundit: duas vero reliquas cælum nobis claudere poſſumus affirmare,videlicet,autumnum,et hiemem; a ſolſtitio,ſcilicet,ad brumam;quando nobis marceſcunt,et intereunt omnia,recedente a nobis ſole,et quaſi ad ſe munificas

a Ita cenſent Latini.

b Ita Homerus teſte Euſtathio in Iliade, qui has partes anni deas vocat, ſ cæli ianuarum reſeratrices. Idem in ſententia docet Ariſto. 2. de ortu, & interitu.

nificas manus retrahente. Itaq. quemadmodum anni, ita quoq. diei quatuor ſunt partes inſigniores, quæ illas anni aliquo modo repræſentant. Prima eſt Mane, quæ analogiam habet cum Vere; ſecunda Meridies, cum Aeſtate; tertia Veſpera, cum Autumno; quarta Nox, cum Hieme. Quæ rurſum diei partes a quatuor cuiuſq. horizōtis, maxime recti, deſumuntur. Cumque minora maiorum ſint veſtigia, ſeu imagines; certum quoq. vobis eſſe debet, lunam intra menſem ſui luminis [a] incremento, et decremento; etiam hiemis, et æſtatis varietates efficere. Prima igitur lucis circuitione, continuo motu, ad motum primi mobilis completa; in ſpatio ſuperius dicto, conſtituta eſt illa prima, et vnice prima dies: facto prius veſpere, termino, ſcilicet, diei artificialis illius; deinde mane alterius diei ſubſequentis termino, videlicet noctis. Quæ quidem dies vna fuit, id eſt, prima, et præclariſſima, et princeps omnium, reſpectu horizontis recti, quem primum ſol aſcendens illuſtrauit: atque habuit equidem [b] mane; ſed licet aurora, hoc eſt, ſplendore matutino ſolis ortum antecedente, reſpectu prædicti horizontis caruerit; tamen cum horizontes obliqui varii ſint, et innumerabiles; idemque cæli punctus, qui vnius horizontis initium eſt, ſit alterius finis, et in alio medium cæli teneat; efficit, vt non defuerint horizontes, quibus quoque aurora adfuerit, et meridianum, et veſpera, hoc eſt, crepuſculum noctis. Modo autem in conſtitutione primi diei, non niſi horizontis recti rationem habere [c] debemus: ita vt ſol ſub primo puncto arietis cœperit primum motu cieri. Hæc itaque fuit omnium præclariſſima dies naturalis, et prima: inſtar cuius reliqui dies, omni deinceps futuro tempore, conſimilibus lucis circulationibus, viginti quatuor horarum erunt conſtituendi, ſicque

a Ita Ariſt. 4. de generati. animal. cap. 2.

b Contra Magiſt. 2. d. 13. qui docet, primam diē mane caruiſſe. i. aurora, quam idem ſignificare dicit. Sed certe non ita eſt apud peritos Latinos: bene tamē vulgus pro eodem accipit communi ſignificatione.

c De varijs hominū ſententiis circa initia annorum, et dierum ſumenda, iuxta varios hominum ritus, et mores; lege Hieron. Vielmiū de 6. diebus conditi orbis, lect. 12.

iſtum vnum diem (qui fuit omnium primus) lux ſuo in orbem circa terram decurſu conſtituit; quod fuit veſpera ab occaſu ſolis, finiſq. diei artificialis, et initians noctem omnium primam, et ſubſequenter, motu continuo decurrente luce in altero hemiſphærio, et complente æquali durationis ſpatio noctem omnium primam (in æquinoctii enim vernalis puncto medio indiuiſibili, mundus, hoc eſt, tempus, et dies, inceperunt, in primo, vt dixi, puncto Arietis) fuit mane terminans noctem illam: atque ita perfecte complens diem iſtum vnum naturalem, integrum, et perfectum: omniumq. primum, ac principium, et caput totius temporis; a primo videlicet diluculo matutino, in quo mundus incepit, et quo ſol a parte Orientis imminere ſolet, vſque ad ortum ſecundi diei conſimilis primo. Ecce, viri Iſraelitæ, totius temporis initium, quod cum motu cæli incepit. Et quemadmodum vna cum prima cæli conuerſione cœpit, ita cum eius poſtrema deſiturum eſt: atque ita profecto, vt aliquando ſit minime reuerſurum. Quod cum in æternum non ſit duraturum, eo vſque proculdubio durabit, quoad cælum ſuarum conuerſionum numerum expleuerit, quem ei arcana Dei voluntas præſcripſerit.

DIXITQVE DEVS: FIAT FIRMAMENTVM IN MEDIO AQVARVM. Conſummato iam opere creationis omnium cælorum, terræq. et omnium elementorum in prima die, et producta luce in motu ſimul cum corpore cæleſti, et aliis corporibus ſimplicibus: completo item illo primo die, lucis in orbē latione, ex raptu primi mobilis, a primo puncto Orientis, vſq. ad idem punctum conſummata; voluit Deus initio ſecundæ diei, quod fuit primum tempus immediate ſubſe-

ſubſequens, vltimum inſtans primæ, hoc eſt, præcedentis diei; totam corporum molem, a primo mobili ad Oceanum, et terram vſq. quam Firmamentum vocauit; quadam noua perfectione inſignire, et vt diſpoſitionē aquarum, quam hac ſecunda die efficere inſtituerat, optimo quodam modo, ſua omnipotentia, ac omniſapientia exequeretur. Cum enim aquę elementum in duas ſeiungere partes deſtinaſſet; alteramq. eſſet ſuper terram; atq. ſub aeris elemento; alteram vero, quæ tum partim ſupra aliquam elementi aeris partem, tum etiam partim ſupra primum mobile exiſteret: ob eam cauſſam, maſſam prædictorum corporum mirabili quadam ratione adaptauit; vt aquas quas conſtituit, et poſuit ſuper inferiorem partem huius firmamenti (quam corpus aeris eſſe non dubitamus) et eas quas poſuit ſuper ſupremam partem huius firmamenti (quam totam cælorum maſſam a conuexo primi mobilis vſque ad elementum aeris eſſe dicimus: iis enim duob. tamquam præcipuis partibus cōſtat id quod Deus firmamentum appellauit) ſuſtinerē poſſet. Sunt namq. aquæ [a] veræ, et propriæ ſupra vtramq. partem prædictam dicti firmamenti; ſicuti ſunt etiam ſub toto firmamēto, et ſuper terram: iſtæ videlicet quę Oceano continētur: e quibus reliquæ quæ apud nos ſunt, profluunt. de aquis namq. modo loquimur, quæ nobis populari, et trita ſignificatione, ac proprie aquæ vocantur, et vnum ex quatuor elementis conſtituunt. Nudam enim cum vobis hiſtoriam creationis, diſtinctionis, et ornatus huius mundi viſibilis texere decreuerim; vnamquāq. rerum naturam cum verborum proprietate vobis explicabo. Eſt enim meum modo præcipuum inſtitutum, omnium rerū geneſim vobis enarrare, quæ præcipue in vniuerſo habētur. Quod elementum aquę cū ſit corpus vni-

a Veris, & propriis; ac elemētales aquas eſſe ſupra cælos, videlicet, ſupra primum mobile, tenēt Theodoretus, Seuerianus, Acacius, Gennadius, Iunilius; quos ſequuntur et Guilielmus Antiſiodorēſis 1. p. ſui libr. de vniuerſo, Oleaſter hoc loco, Frāciſc. Forcirius in Eſai. c. 40. quod etiam patet ex nominis etymologia ipſius cæli; nā vbi nos habemus, In principio creauit Deus cælum & c. Hebræi cælum vocāt Sciamaim, quod Latine redditur, Ibi aquæ. Horum etiā ſentētiam tenent clariſſimi viri, Chryſoſto. ad Hebræ. homil. 14. & 27. Lactantius lib. 3. c. 44. Procopius in Geneſim, et alii ex Græcis, et D. Epiphan. et D. Hierony. epiſt.

geneum, hoc eſt, eiuſdem rationis, et naturæ, ac proprietatis: firmamētum hoc ita diuiſit, ac diſiunxit in duas partes eiuſdem rationis, et naturæ ſpecificæ, ac proprietatis, (non ſicut diuiſa eſt lux a tenebris, diuiſione impropria, vt habitus diuiditur a priuatione: ſed tamquam vnum, et idem poſitiuum conſiſtens corpus, in geminam eius partem: ita vt quandam aquarum partem hoc firmamētum contineret, et circundaret inferius; quandam autē ſuſtineret ſuperius. ſicq. partiretur vniuerſum corpus aquę in aquas infernas, et ſupernas; atq. ab eis vtrinq. ſub, et ſupra tangeretur: omnibus exiſtentibus eiuſdem ſpeciei, et proprietatis, et naturæ. Qualis namq. eſt harum infernarum aquarum, quas apud nos eſſe videmus, natura, prædicto firmamēto ſuppoſitas; talis eſt earum, quæ eidem firma-

mēto

cōtra errores Ioānis Hieroſol. enumerās errores Origenis, ſeptimū poſuit, quod aſſeruit aquas iſtas ſupernas de quibus hic Scriptura loquitur, eſſe ſanctas, et ſupernas uirtutes; infernas autē eſſe contrarias, et dæmoniacas uirtutes. Chorus itē omniū Græcorū, & Latinorum Patrum tenet, aquas omnes iſtas ſupernas eſſe veras, ac naturales aquas: & cōis populi Chriſtiani perſuaſio iſta eadem eſt, cum lectionem hanc Geneſis, & illam Pſal. 150. Et aquæ quæ ſuper cælos ſunt, laudent & c. et illam trium pueror. Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt & c. in Eccleſia legi, et cantari audit. Et licet alii Doctores dicant, hoc loco ſumi aquas tranſlatitie, et per metaphorā, pro Angelis, vt ait Origenes; pro Spiritu ſancto, vt ait Ambr. lib. de Spiritu ſancto; vel pro creaturis corporeis infernis, & ſpiritualib. ſupernis, ſcilicet Angelis, vt ait Ambroſius Catherin. vel pro cælo cryſtallino, ex aqua veluti congelata compacto; vt tenent S. Tho. et Duran. 2. d. 14. Tamen pace tantorum virorum dixerim, in hac pericope huius loci S. Scripturæ nulla eſt metaphora; tum quia hiſtoriam texens Moſes hic, capere debet voces in populari, ac trita ſignificatione: tum etiam, quia nec ratio fert, nec vſus auctorum, vt in eadē ſententia capiatur bifariam; videlicet proprie cum loquitur de aquis infernis, & metaphorice cum de ſupernis. Item, quia firmamētum dicitur hic diuidere inter aquas: ergo quales ſunt infernæ in natura, tales erūt ſupernæ; ſcilicet propriæ. aqua enim eſt corpus homogeneum. Item, quia ſi ſupernas aquas intelligant iſti Doctores metaphorice, cur non etiam infernas? & etiam arbores paradiſi, & flumina, & alia multa non minus cum ſenſu pugnantia & ratione, ſi ad litterā accipiantur; quam quod ſint veræ aquæ ſuper cælos. Et tamen etiam ob iſtas, & huiuſmodi expoſitiones omnia ad allegoriam trahentes, mira cōſenſione a veterib. Origenes omnino damnatur. Item, aquæ ſupercæleſtes plures eſſe hic dicuntur; at cælum cryſtallinum vnum eſt tantum.

mēto ſuperponuntur.Fuit ergo diuiſio hęc vnius homogenei corporis partitio, et in geminam partē diſiunctio. Ambæ igitur partes vnius naturæ ſunt. Quapropter,ſicut hæc pars, quæ ſubcæleſtis eſt,vera,et elemētaris eſt aqua: ita etiam et illa ſupercæleſtis vera eſt, et elemētaris aqua. Cum ergo in hac rerum omnium,quæ præcipue habentur in vniuerſo, creatione; illæ quæ ſenſibus palam ſunt, et expoſitæ,non ſint intermittendæ:et inter has præcipue cēſeantur aquæ illæ,quæ ſuper inferiorem partem firmamenti, quæ aeris elementum iam dicta eſt, poſitæ ſunt: quales ſunt impreſſiones quæ in ſublimi aeris fiunt, hoc eſt, in ſuperiori eius parte; cum primis admirabiles, ac ſenſibus obuiæ,a Deoq. ibi productæ,et collocatæ: ideo non ſunt in hac œcumenica geneſi prætermittendæ: ſed tamquam opus profecto grande ſummi opificis Dei, et admirabile,quod ſecunda hac die tamquam miraculum quoddam effecit,enarrandæ.Cum enim elemētum aeris (quod partem inferiorem eſſe huius firmamenti de quo nunc loquimur, non eſt vobis ambigendum) ſit corpus natura ſua rarum,fuſum,ac tenue; et aqua ſit natura ſua fluida,et grauis; et nihilominus conſtringitur, et congelatur,et a raro,ac tenui corpore tamdiu ſuſtinetur ne decidat, quoad ſenſim veluti maturuerit,et comminuatur in guttulas, aut fruſtula; non abs re licebit tantum opus Dei vobis et explicare,et me vobiſcum admirari: immo et diuinæ omnipotentiæ gratulari pro eximiis quæ inde mortalibus obueniunt beneficiis. Etenim fontes,amnes, et lacus inde reficiuntur; ciſternæ,et putei inde implētur; plantæ vitam ſeruant,animalia ſitim ſedant;et cum ęſtate hæc nimio calore languent,ac veluti defluunt; inſtaurantur repente cum pluit,ac vires eis tamquam poſtliminio redeunt: irrigatur deniq. terra,fecundaq. efficitur,vt

largas fruges oportuno deinceps tempore mortalibus proferat. Vt proinde merito a nobis frequenter diuinus opifex ſit benedicendus in firmamento cæli,et laudãdus, et glorificandus,et ſuperexaltandus in ſecula.Qui ad vocem ſuam dedit multitudinem aquarum in celo,et iugiter eleuat nebulas ab extremitatibus terræ. Et aquas [a] ligat in nubibus eo temperamento, vt partim quidem ſupra nubes ſiſtant tanto miraculo fluxę naturæ,ſuo verbo coercitæ. Aquas ergo quæ in cælo, et ſuper firmamentũ, quod eſt aer,fieri,et eſſe intelligendæ ſunt:dico eſſe grandinem,niuem,glaciem,ſpiritum procellarum, et cum iis rorem,pruinã, imbres, nubes, et reliquas aqueas impreſſiones quæ in ſublimi fiunt, ac etiamnum gignuntur. E quibus omnib. illa quæ prædixi, munifica beneficia proueniunt. Eſt præterea alia huius firmamenti nobilior, et excellentior pars,eaq. ſuperior ſitu,loco,et natura,dignitate, ac proprietatibus: quę quidem et aquas proprie dictas,eiuſdẽ naturę,ſpeciei,et rationis,ac proprietatis cum iis noſtris infernis,ſupra ſe habet,et miro quodam Dei artificio,atq. ineffabili modo continet.Quales autem aquę illæ ſint ſecundum hæc accidentia,videlicet,[b] fluxilesne, an concretæ; tenues,vel craſſæ; vel in quem vſum,ſeu finem ibi poſitæ ſint, et ab opifice Deo reconditæ: nouit ipſe qui condidit. Sat fuerit vobis id ſcire, ibi, videlicet, veras eſſe,ac naturales,et elementales aquas:ſupra totam ſcilicet corporum cæleſtium maſſam, quæ ſuprema pars huius firmamenti [c] eſt, et dicitur.Vtraq. igitur totius firmamenti pars,videlicet et aeris elemẽtum, et tota maſſa corporũ cæleſtium a primo mobili vſq. ad lunam,opere et potentia Creatoris aquas ſupra ſe continet. Igitur initio ſecundæ diei prædicto dixit Deus, voluitq. imperio ſuę voluntatis id in rerum natura a ſe producta fieri tem

pore

Ierem.10. Amos 9.

a Verba ſunt D. Greg. Nazianze. in lib.3. de Theologia, vbi multa elegãtiſſime de hac re edisserit.

b Ita Magiſt. ſententiar. in d.14. et ſunt eius expreſſa verba.

c Theodoret. Acacius, Gennadius, Seuerianus, & Iunilius aiunt firmamẽtũ hic intelligi eã maſſam, & congeriem corporum, in qua ſidera omnia et fixa, et erratica inſident: quã ob id cælum ſidereũ vocant, quod Moſes infra dicat, Et vocauit Deus firmamentum cælum, et poſuit ſtellas in firmamento cæli, id eſt, in firmamento quod cælũ eſt. ſed certe non tantum illi globi firmamẽ-

pore prædicto, quod ab æterno fieri hac die decreuerat: videlicet,vt firmamentum hoc, quod iam prima die, videlicet externa,creauerat, et produxerat, ſecūdum ſuam ſubſtantiam, et ſpecificas differentias,et proprietates, ſimul cum terra,et aquis, fieret, id eſt, perficeretur,et aptū redderetur, quadam perfectione denuo ab ipſo opifice ſibi indita: in medio aquarum infernarum,et ſupernarū, eo ſcilicet fine,vt has poſſet ſupra ſe ſuſtinere:atq. ſic eas diſtingueret ab his aquis noſtris infernis,quę ſub iſto ſunt firmamēto. Dixit,inquam,hoc fieri ſecunda die, eodem modo,eademq. ratione qua Deus dixit,cęlum,et terram fieri initio temporis,vt ſupra vobis enarraui.ſimili quoq. etiam modo, tranſacto primo die, initio ſtatim ſecundi dixit,vt fieret hoc firmamētum in medio aquarum.licet enim nullum corpus fuerit factum hac ſecunda die,quo ad ſubſtantiam,et ſpecificas proprietates: tamen propter aliquam virtutem denuo communicatam corporib. his quibus firmamentum hoc integratur, ad continendum, et ſuſtinendum huiuſmodi aquas: ideo opifex ſummus optime dixit, hoc totum aggregatū corpus ex prædictis corporib. fieri firmamentum,dicendo:Fiat firmamentū, vel extenſio, ſiue expanſio quædam horum corporum quæ ſunt a primo mobili vſq. ad Oceanum, et terram.

tum diuidēs inter aquas: hic uocatur, ſed etiam ſimul cū illis ignis,et aeris ſphæræ.quin alias nō diuiderēt inter aquas,et aquas; ſicut opifex modo iubet: ſed inter aquas (quæ in conuexo ſupremi cæli ſtellati continentur) & ignem, qui tangit concauū infimi cæli. ſ. lunæ, & ab eo ambitur. Itē aerem vocari in S.Scriptura cælum, patet Pſal.8. Volucres cæli etc. & hoc cap. 1. dicitur: Et uolatile uolet in firmamento cæli. relinquitur ergo & eſſe verā noſtram ſententiā in hac paraphraſi, videlicet nomine firmamenti poſſe nos intelligere totam maſſam, et molem omnium corporū a primo mobili ad Oceanum, & terram vſque. Vnde opinio Theodoreti, et aliorum ſequacium minus. conſtat; etiam ſi illam ſequantur Antiſiodorenſis lib. de vniuerſo, 1.p. Oleaſter hoc loco, Foreirius in Eſaiam cap.40. qui omnes aiunt illam maſſam cælorū in qua ſunt ſtellæ,fuiſſe compactam, & congelatam tāquam cryſtallum. quod certe falſum eſt, cum cryſtallum conſtet quatuor elementis; aqua vnum elementum tantum eſt. Tamen Auguſti. Steuchus ait, per firmamentum intelligi totum elementum aeris. ſ. illud infernum eius interſtitium, vbi nubes, & aliæ impreſſiones aqueæ gignuntur. Idem alii tenent, ſecuti Rabbi Abraham, Aben Ezra. quam ſententiam D. Auguſt. 2. ſuper Geneſ. non inprobat, nec etiam S. Th. 1.p.q.68.art.1. immo parem locum ei cum ceteris tribuit.

Expanſio,inquam, non ſecundum [a] contuſionem, ſicuti metalla opera, et malleis artificum extenduntur: nec ſecundum rarefactionem, vt extenditur aqua cum calore ebullit, et intumeſcit: neq. etiam explicatione quadam, ſicuti aulæa tentoria, et veſtes, præſertim vero cum aliquamdiu complicatæ manſerint,et aeri explicãtur, et expanduntur,vt euentilentur:non,inquam,hoc firmamentum ſic firmamẽtum,vel expanſio fiat,ait opifex; ſed ſecundum incrementum, non ſubſtantiæ (quæ nec magis recipit,nec minus,et in indiuiſibili ſita eſt) non quantitatis,et molis (prodierunt enim illa prima corpora omnia terminata, et in ſuis ſingula locis, ac ſitibus collocata,vt ſupra iam diximus) ſed ſecundum qualitatem,et virtutẽ. Non ita quidẽ, vt nullas qualitates, et vires corpora quæ firmamentum dicuntur, antea non haberent; ſed quod priorib. quas cum formis initio receperunt, hanc quoq. hodie,a me opifice ſuo,nouam qualitatem nacta ſint,videlicet, vt tantæ ſint ſoliditatis, ac roboris; vt aquis non cedãt ſuperpoſitis, et citra vllum incommodum eorum particularis naturæ,eas(quãuis graues)nedum ſuſtineant, ac veluti geſtent: ſed etiam, tamquam traditum illis depoſitum, tamdiu conſeruent, quoad illas ego opifex ab eis repetere voluero.Extenſio namq. nõ ſolum adeptionem formæ horum corporum firmamenti, ſed eorum quoq. auctionem, et veluti progreſſum ſignificat: ſicut et cetera verbalia nomina.Et ſic dicẽdo ego Deus vt fiat extenſio,dixi etiam fieri firmamentum; tamquam quod mea diuina virtute ad munus prædictum [b] firmatũ fuerit, ad confirmationem, et ſtabilimentum aquarum; ſic nuncupatum, quod mea virtute,et liberalitate firmitatẽ, ac robur acceperit.Quemadmodum itaq. Creatorem dicturi ſumus paulo inferius,[c] ſoli,præſtãtiſſimo ſideri,non

dediſſe

a Diuiſio eſt Caietani hoc loco, explicatio autem noſtra Hieron. Vielmii Epiſcopi Eunoniæ, ex ordine Prædicatorum aſſumpti, lib. de 6. diebus cõditi orbis lect. 14. pag. 186. quem maxime ſequimur in hac noſtra paraphraſi; etſi diuerſam huius loci intelligentiam proferat Caiet. & aliam Hieron. ab Oleaſtro.

b Ita explicãt Ambroſ. & Gregor. 27. Moral.

c Ita confirmant hanc intelligentiã noſtram S. Th. & D. Dionyſ. Areopagita.

dediſſe initio ſimul vires illas omnes, et facultates, quas nunc habet: ſed initio quidem nonnullas, et quarto poſtmodum die ceteras; quod dictu perinde eſt, ac ſenſim, et gradatim: ſic enim et libertatem ſuam palam aperuit, et intelligēdum nobis obtulit, formas ab eo habere, vt hoc, vel illo qualitatum genere præditæ ſint. Et huic ſimile quidquam [a] aquis eueniſſe exiſtimandum, cum ſuperius diximus, ſpiritum Domini ferri ſuper aquas. nil igitur vetare vobis exiſtimandum, hoc ipſum cōtigiſſe hodie corporib. illis, quę firmamentū dicuntur. H O C, Hoc igitur illud eſt opus ab optimo, maximoq. Deo hac ſecunda die effectum. Quod, tamquam ſupremum miraculum, ſuperat cognitionem omnem, omnemq. ſua magnitudine excedit intelligentiam: vt opifex ſuper veros, et altiſſimos cælos noſtrates aquas collocauerit. Quod et hoc ſentiēdum nobis in præſentiarum Spiritum ſanctum expoſuiſſe: quod non ſolum [b] ſuper elemētum aeris aquas, modo quo prædiximus, collocauerit; (quod ſenſu facillime cognoſcitur) ſed hoc etiā aliud admirabilius; quod ſupra veros, et altiſſimos, ac ſupremos cælos eas conſtituerit. Ita vt huius admirabilis, et veluti miraculoſi operis voluerit vt fidem nobis faceret illud etiam mirādum opus, quod ſupra elementum aeris effecit Deus: quod a me iam expoſitum eſt, et tam crebro perſpicimus. Ita vt quiuis hominum vera, et perfecta Creatoris cognitione prēditus, ita ſyllogizari, ac diſcurrere facile poſſit. Si aquas natura graues, et fluxiles, aer corpus rarum, et permeabile, imperio Dei fortiter ſuſtinet, ne temere decidant, aut labantur; cur etiam aquas tamdiu eius imperio cæli ſuſtinere non poterunt, quoad illi viſum fuerit, etſi illi quoq. alterius naturæ ab elementis fuerint, et aquæ illæ graues, vnigeneæq. cū noſtris ſint? Quod Dei proculdubio opus

a Ita probat D. Chryſoſtom.

b Vt Aben Ezra; et reliqui ſequaces exiſtimant.

tam facile fuit, videlicet, ſuper veros, et altiſſimos cælos aquas noſtras ponere, atq. cetera omnia quæ difficillima videntur. Non igitur (vt idem ſæpius replicem) ſuper ſolum aerē aquæ ſitę ſunt, ſed ſuper altiſſimos cælos quoq. Vt ſic cæli celorum, id eſt, ſupremi laudarent iugiter Dominum; et aquæ quæ ſuper iſtos cælos eſſent, laudarent nomen Domini. Et hoc nobis ſummus opifex exponere arbitrandus eſt, ſimul cum eo quod de aere dictum eſt, quando dixit, ſuo imperio, et voluntate firmamentum hoc fieri ad aquas ſuper ſe continendas, et infra a ſe ambiendas: atq. etiam ad has infernas ab illis ſupernis diſtinguendas. Quaſi diceret: Fiat ſolida, et vigoroſa tota corporum moles a primo mobili ad Oceanum, et terrā vſq. et ſane ita, vt aquas vtrinq. tangat, a conuexa ſcilicet, et concaua ſuī parte: hoc eſt, ſupernis ambiatur, et infernas ipſa ſimiliter ambiat: nec interim fatiſcat. Amplius, et hęc quoq. infima firmamenti portio, quæ aer eſt, fiat ita ſolida, vt tamquam inſtertitium, et paries quædam ſupra ſui partem aliquam aquas pro locorum, et viuentium oportunitate ferat (non enim nubes, et pluuiæ vni prouinciæ iugiter imminent, aut in vna aeris nobis conſpicua parte perpetuo inſident: niſi forte Cimeriis, qui occupatas frigoribus terras incolunt: ſed hic, vel ibi, prout mortalium commoda vidit Deus ſua prouidentia exigere) et deorſum maria complectatur, ac numquam tamen defluat. Vtrumq. enim tamquam miraculum maximum arbitramini, vobis in pręſentiarum per me ſanctum Spiritum exponere.

Reſolutio totius paraphraſis huius pericopis, Fiat firmamentum in medio aquarum et c.

ET FECIT DEVS FIRMAMENTVM, DIVISITQVE AQVAS QVAE ERANT SVB FIRMAMENTO, AB IIS QVAE ERANT SVPER FIRMAMENTVM. Et ita, modo quo

dixit

dixit, Deus fecit hoc prædictum firmamentum, hoc eſt, perfecit, et conſolidauit; nouam quandam virtutem illi tribuendo, vt diximus, ad ſuſtinendum ſupra ſe aquas illas veras, et proprias, ac naturales; ad finem quem ipſe voluerit. Sicq. diuiſit loco, et ſitu has aquas noſtras infernas, quę ſunt ſub toto iſto firmamento, quod ex elemento aeris, et reliquis ſuperioribus corporib. vſq. ad primũ mobile coaleſcit; ab aquis ſupernis, quæ videlicet ſunt collocatæ, et ſitæ tum ſupra priorem partem huius firmamenti, ſcilicet, ſupra elementum aeris: tum etiam ſupra poſteriorem, et nobiliorem, videlicet ſupra primum mobile. Ita enim Deus ſolidum fecit hodie aerem, hoc eſt, valentem, ac tanta virtute auctum, et locupletatum, vt aqueas impreſſiones ſuſtinere nullo negotio poſſet: ac ita illum validos effeciſſe illos nobiliſſimos cælos dicimus, et ſua bonitate diuites; vt elementales aquas citra iniuriam quoad vellet ſuperferrẽt: quomodo nimium duriſſima rupes, aut petra ſolet ſibi imminentes aquas perferre, aut etiam excipere.

Vnde Baſilius ait: S. Scriptura hoc nomine firmamẽti in iis rebus vtitur quæ robore, viribusq. exuperant.

ET FACTVM EST ITA: VOCAVITQVE DEVS FIRMAMENTVM CAELVM. Et ita factum eſt hoc opus, ſicut ipſe fieri tunc dixit, et ab æterno mandauit. Hoc autem firmamẽtum ſic effectum, ſic perfectum, hac ſoliditatis, et firmitudinis ad id muneris perfectione decoratum; vocauit opifex cælum: a nobiliori ſane parte hanc nomenclaturam illi tribuendo.

ET FACTVM EST VESPERE ET MANE DIES SECVNDVS. Atque hoc opere tam magnifico, et tenebris humani ingenii pæne incredibili, ſecundam hanc diem totius temporis, veſpere, et mane, inſtar modi primi diei a me iam vobis ſuperius expoſiti, factis concluſit, perfecit, et conſummauit. Sicq. factis ve-

ſpere, et mane, fuit tranſactus dies ſecundus, completus, et integer.

DIXIT VERO DEVS: CONGREGENTVR AQVAE, QVAE SVB CAELO SVNT, IN LOCVM VNVM, ET APPAREAT ARIDA. Perſiſtit Deus Opt. Max. in ſuo opere, quo huius ſenſilis mundi fabricam conſtruxit, et ordinauit. Et conſummato ſecundo die in diſponendis aquis illis, quæ in infernas, et ſupernas diſtinguuntur; nequaquam aquarum diſpoſitionem ſecunda die, præcedenti ſcilicet, compleuit: ſed earundem diſpoſitionis continuationem in tertiam diem, cuius opus modo vobis explicãdum ſuſcipio, reuocauit. Vnde creationem rerum, et earum diſtinctionem hactenus expleuit, deinceps earũdem ornatum ex profeſſo effecturus. Quem quidem hac tertia die, ab aquarum in locum vnum, ſcilicet Oceanum, congregatione, ad terram oculis animalium quæ in ea ſunt procreanda, demonſtrandam auſpicatur. Etſi enim ſummus rerum opifex vno momento cælos, et elementa, quibus hic ſenſilis orbis præcipue integratur, effecerit; non tamẽ eodem momento diſtinxit, ornauit, et expoliuit: ſed ſenſim, atq. gradatim. Vt mirum proinde non ſit, ſi natura, et huius æmula ars ſua opificia initio rudia confingunt, et poſtea, vrſarum in morem, lambendo paulatim [a] efformant. informe namq. ſemper origine formatum præcedit. Itaq. cum prima die formatione lucis ſuperna, infernaq. corpora ſimul Deus ornaſſet quoquo modo, vt tũc eorum naturis conueniebat: ſecunda vero, media corpora inter primum mobile, et Oceanum, veluti roborauit, vt idonea eſſent retinendis aquis: ac deinceps tertia (in qua ſumus) geminum elementum, aquam videlicet, et terram perfecte ornaturus, ſuum ante aſſignat locũ aquis;

[a] Auguſt. lib. 12. confeſſi. cõtra Platonem, et Horatiũ, qui hominum imitatores viliſſimos appellant. Et ſane cõtra naturam, et artem eſt quod iſti aſſeuerant.

jubet

iubetq. vt congregētur quæ ſub cęlo ſunt, ad locū vnum. Itaq. abſoluturus inchoatam aquarum diſpoſitionem, quam pridie Deus feliciſſime inchoauerat, ita nunc loquitur. Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum. Eæ namq. quas ſupra cælum, et in aere, ſcilicet nubes, et id genus aliarum rerum, quæ in ſublimi gignūtur, iam ſuum adeptæ ſunt locum, quibus ſuum me aſſignaſſe videri poteſt, totum nempe aerem, vel certe mediam eius (vt vocabunt homines) regionem. Vniuerſum nāq. aerem in tria interualla, ſeu inſtertitia, qui de rerum natura conſiderabunt, partiri debebunt: quorum ſupremum vicinitate ſua ad elemētum ignis, iugiter flagrare, et ęſtuare, poterunt exiſtimare. In quo et cometæ, capræ ſaltātes, et igniti reliqui vapores videbūtur. Ad quod nullus mōs, quiuis ille ſit, reuera vſpiam in tota terra pertingit. Secundum inſtertitium, extremum videlicet alterum aeris, eſt infimum hoc interuallum, quod incolent homines procreandi, et animalia; et radiorum ſolis repercuſſione a terra, tepidum fiet, et vſui viuētium animalium erit cum primis accommodatum. Ac deniq. tertium, id quod inter hæc medium dicetur, quod obſcurum facient homines, et frigidiſſimum, non natura (aer enim totus natura [a] calidus eſt) ſed extremorum cōparatione: et in eo niues, nubes, et grandines, et huiuſmodi gignentur, vt hominibus ratio ſane feret: licet nubes, et pluuiæ vni prouinciæ minime iugiter [b] imminebunt, aut in vna aeris hominib: conſpicua parte perpetuo inſidebunt: ſed hic vel ibi, prout mortalium commoda noſtra prouidētia videbit exigere. Quapropter, aquæ cæleſtes non ſunt a nobis iuſſæ abire in locum vnum. Et rurſum, quoniam in gemino loco antea diſpertitæ fuerunt, ſuper cælos altiſſimos nimirum, et ſupra aeris partem aliquam, vt nemo proinde cau-

a Cardanus lib. 2. de ſubtilit. & alii priores illo cēſent frigidiſſimū eſſe.

b. Niſi forte Cimeriis, qui occupatas frigorib. terras incolunt, vt inquit Feſtus Pompeius; habitant. n. ii loca circa Mæotidem; & a Cimerio monte, et ſinu: qui Mæotidis oſtium continent, nomen ſortiti fuerunt.

cauſſam quærat, cur etiam cæleſtibus non iuſſum fuerit, vt in vnum locum abirent. Subcæleſtes igitur in vnum locum, hoc eſt, in vnam ſphæram omnibus futuris hominibus obuiam, et notam, quam Oceanum ferme vocabunt, in præſenti iubentur abire, et mãſure ibi perenniter. Nec ſane quia in variis locis nunc ſint diſperſæ: ſed quia cum totam terram ambiant, ac tegant; cuncta ferme loca occupare ſub cælo videntur. Secedant igitur imperio noſtro in præſenti, initio huius diei, aquæ iſtæ infernæ ab ampliſſimo iſto loco, et compactæ partim quidem in Oceanũ, et mediterraneos ſinus; partim vero intra terræ viſcera abditę decurrant: ac proinde in anguſtias deſuper redactæ, eueſtigioq. terra vtrinq. emergere, ac prominere arida videatur, quę illis antea vndiq. operiebatur, et occultabatur; atq. tou va bou, inanis, et vacua, ſiue incõpoſita; et aroatos, hoc eſt, inuiſibilis erat. Latebat quidẽ hęc tamquam theſaurus ingens ſub aquis (non profecto qui eſt, ſed qui futurus poſtea eſt) et latebat mundum noſtra ſapientia: ac conſequẽter, quæ vtilitas in ca? proinde ego opifex dixi, congregentur, id eſt, coaguſtentur aquæ, ac ratione [a] quadam veluti geometrica circũſcribantur; vel etiam arithmetica, [b] numeris veluti quibuſdam ligentur; et certe hunc locum peculiarem obtineant, et appareat arida: quæ plus nimium madida, et aquis pota, nullo vſui mortalib. futuris hactenus fuit. Ob id enim creata eſt, ſicut et reliqua corpora, vt mortalib. proſit. Eã proinde ſupereminere aquis quibuſdam in locis volo, ego omniũ opifex: cum nimirum natura deberet tota ſubſidere, cũ grauiſſimum omnium elementorum, atq. craſſiſſimum ſit; et proinde medio axe [c] libratum. Et hoc præcepto noſtro compellente, ipſa aquarum natura nunc, et deinceps quoq. curret ad mare: omnia [d] enim flumina intrabunt

a *Forcirius Eſaiæ 28.*

b *Boethius ait: Tu numeris elementa ligas.*

c *Baſilius.*

d *Eccleſ. 1.*

buntillud. Ex [a] eodem quoque hodierno præcepto mei ſummi opificis curret aqua, fontes labentur in fluuios, in freta current flumina, lacus deriuabuntur in maria, ipſa ſeſe aqua præcedet, vrgebit, et ſequetur, vnusq. erit ductus, vnum erit corpus. Congregentur [b] ergo aquæ inferiores cælo, motu quodam locali, ac deſcenſu: cum enim elemẽtum terræ viſcera multa habeat, et cauernas preterea, ac fiſtulas, meatus, ſpecusq. et longe, ac late patentes: qui omnes vacui ſunt (non vero prorſus inanes, ſed aere repleti ſunt, qui aduenientibus aquis locum præbebit, vel ad ſuperna euaneſcẽte, vel in aquas concreto: ſicq. vacui vocãtur, quo rariori corpore nunc ſint repleti) nunc me iubente, pars magna aquarum motu decliui, præcipitiq. ſeſe in illis recipiat, et confeſtim terra veluti inde prodire, et emergere videatur. Nam cum immenſa ferme ſit hoc initio aquarum vorago, et magna earum pars ſuperiori die ſit ſuper cælos omnes recondita, et alia etiam in aerẽ, nubes, et id genus rerũ pertrãſire debeat: terra protinus conſpicua apparebit. Non [c] quod totum aeris elementum hodie ex aqua efficiatur: nulla enim ratione exiſtimandum erit, elementa mutua vnquam corruptione inuicem ſeſe ſecundum totum gignere: ſed ſolum ſecundum partem ſeſe gignent, et augebunt. Namq. quod ſecundum totum gigni in rerũ natura dicetur, elementum eſſe non [d] poterit. In terræ igitur latebras iſtas, et ſubterraneos ſpecus ingens aquarum portio labatur: [e] et tantam aquarum immenſitatem labi motu locali in terræ viſcera efficiat, vt terræ extima ſuperficies ſicca, aridaq. prodeat; ſicca (inquam) non ſicuti arena, aut cinis, quæ ſteriles ſunt, et infrugiferę: ſed non ita ſicuti modo madida; quin potius ſic compacta, ac dura, vt pedibus procreandorum a nobis animalium calcari, teriq. poſſit; ac radices ab

a *Ambroſius.*

b *Modus quo facta eſt aquarũ congregatio, verius ſane, & eſt S. Tho. 1.q.69.art.1.& aliorum multorũ.*

c *Aliquorum opinio iſta eſt, ſed falſa.*

d *5.Metaph.4.*

e *Hæc in cauſa eſſe nũc poſſunt, vt alicubi in terra, procul a fluuiis, et mari, inueniantur piſces, qui ſuaues quoq. eſui ſunt; ut Athenæus libr. 8.*

ces ab arboribus in ea figi, et ſtabiliri: licet præterea totũ hoc elementum ſit a ſui conditione natura ſiccum, prout et ſemper quoq. erit, et quidem in ſummo. Cum itaq. aquis obruta tota ſit, et minime conſpici poſſit; factum nunc erit vt vtrinq. emergat. Non alteratione quadam, videlicet condenſatione, et concretione aquarum, quod rariores ſint, et ob id immẽſum occupent locum: et ideo me Deo iubente, concretæ fiant, et condenſatæ, inq. anguſtias veluti redactæ, Oceanum ſibi retineant, locumq. ſub aere terræ ſuperficiei conuexæ concedant, non ſic factum erit, non ſic, inquam: non enim eſt rationi cõſentaneus hic modus congregationis aquarum. Nam non eſt cur in hac elementorum maſſa aquæ nunc rariores ſint, niſi diceretur poſtmodum ab hominib. facta pridie aeris extenſione, et igne ſuo in loco ſito, eſſe nunc aquas rariores. Quod ſane alienum eſt ab iis quæ ſupra a me dic prima ſunt facta: creaui enim ego Deus elementa in eiſdẽ locis, cum eiſdem diſpoſitionibus naturalib. quas nunc poſſident. ſed iſta aquarum congregatio fiat a nobis per ſolum motum localem modo ſupradicto. Et ſi qua interfuerit alteratio, ſit perquam exigua, et quæ localem motum conſequatur. Tum quia aqua ex natura ſua vendicat ſibi denſitatem quam modo habet, ac habebit ſemper aqua elemenralis: tum etiam quia ſi aqua per dẽſitatem occupatura eſt deinceps multo minorem locũ, fiet vt aer ſit futurus multo rarior, quam cum conditus fuit, vt ſcilicet repleat locum ab aquis derelictum: quod non ita erit. Productus enim eſt initio aer cum ſua raritate, qualẽ naturaliter exigebat. Sicq. aqua relinquet terræ ſuperficiem, et in orbẽ erit circumfuſa, et in viſcera terræ dilapſa, per ſolum motum localem prædictum. et aer ſponte deſcendet ad replendum eum locum quem ipſa reli-

ex Polyb. lib. 35. et Theophraſt. li. de piſcib. et Plin. lib. 9. cap. 34 teſtãtur. Vide Nicolaũ Damaſcenũ lib. hiſtoriarũ 104. quid de Mithridate gerente bellũ circa Apameam Phrygiæ, de ſtagnis, fontib. fluuiis, quos ait motu terræ repẽte erupiſſe, in quib. eſſet ingens piſciũ multitudo. et Ariſto. ſentẽtia lib. de reſpiratione, qui aſſerit, inueniri piſces foßiles, qui intra terram degũt, hæc confirmat: quod et Seneca li. 6. quæſtionũ naturalium ſcribit.

reliquerat. Agnoſcēt enim homines, ſubterraneas ſpecus, et aquarum receptacula etiam ſemper exiſtere. Ad hæc, maria permulta, et ſinus innumeros anguſtos, et latos: nec tamen diſperſiones aquarum propterea nuncupanda iſta futura ſunt, quoniam continuationem ad Oceanū habebunt; ad quem per arcanos terræ poros, et meatus hinc, et inde decurrēt, tamquam ad vnum communem, et præcipuum illis aſſignatū hodie locum. qui aquæ maris ſecundum naturam erit. Ille enim locus erit cuiq. elemēto ſecundum naturam, qui conueniet maxime bono vniuerſi: qualis ſane futurus eſt, quē modo habet, et maris aquæ deſignamus. Si enim alium habuerit, peribunt omnia futura animalia, et viuētia terreſtria; quæ ſunt præcipua huius orbis pars futura. tum etiā, quia ſi locus iſte non erit aquæ maris ſecundum naturam, violenter detinebitur ibi, ac proinde non poterit in eo perpetuo conſeruari, neque tanto impetu in mare profluent: cuius oppoſitum ſenſibus hominibus procreandis erit manifeſtū. Ac præterea, quæcumq. facta a nobis fuerint in hac operum ſex horum dierum ſerie, ſunt, ac erunt maxime naturæ legibus conſentanea: vt patere poterit cuiuis recte ea conſideranti: etſi modus efficiendi fuerit, ac erit ſupra conſuetum ordinē naturæ. Cum igitur ego opifex ſummus, aquas infernas in locum quem omni futuro tēpore habebūt, congregare velim; ille proculdubio erit illis ſecundū naturam. In quo loco totum elementum aquæ ſphæricam ſibi figuram poſtulabit, et eam libenter conſeruabit. ſecundum (inquam) ſe totum: quia reſpectu tantæ magnitudinis non exigetur, ſuperficiem vltimam eſſe omnino æquabilem. Nec rurſum eſt neceſſarium, in corpore fluido, qualis eſt aqua, cōſtantem eſſe figuram, ſicut eſt in lapide. Hoc tamē tantum nunc aſſerimus, figuram

hanc toti elemento aquæ esse conuenientem, cui optima ratio suffragatur. Nam totum uniuersum est quidā sphæricę figuræ, et ex consequenti omnes partes illi essentialiter subordinatæ eandem expetere debent: et cum elemēta ſint vniuerſi iſtius huiuſmodi partes, oportebit in illis ſphæricam hanc figuram tanquam naturalem illis reperiri. Quod in elemento aquæ exemplo quodam naturali, ac experimento comprobari poterit in minutulis guttis aquæ ab alto decidentibus: in quibus orbicularis apparebit figura, in ſignum quod totum elementum eandem appetit. Ex his vero omnib. id ſequitur, quod cum vtrūq; elementum, aqua nimirum, et terra, concētricum modo ſit, deinceps noſtra prouidētia effectum erit eccentricum loquendo de centro magnitudinis vtriuſque corporis, quāquam centrum grauitatis vtriq; commune deinceps etiam erit: quod et centrum mundi eſt. Nam omnia corpora ſuperiora ſecundum ſe tota habent idem centrum, quod eſt centrum mundi: ergo elementa inferiora idem etiam habebunt, grauitatis ſaltim, cētrum. Emergat igitur terra ex aquis, Dei ſui conditoris prouidentia; quæ hominis procreandi a nobis gratia cuncta elementa iam fecit, et oportunam ei manſionem præparat: hoc eſt, in qua reſpirare, et alimenta cum ipſe, tum animalia cetera producenda capere poſſint. Ergo, vt denuo repetamus quod admiratione res digna cunctis magnopere futura eſt: etſi aqua comparata terræ ambire hāc natura deberet, quod ſit ea minus grauis; comparata tamē mixtis corporibus, et cum primis animalib. efficiēdis, quæ perfectiora erūt, (ſunt enim minus perfecta gratia perfectiorum) ac proinde vniuerſi beneficio, cuius ipſa quoque pars eſt, et cui veluti proſpicere, inſeruireq. ſingulæ eius partes cum primis debent (ſic enim ne vacuum detur graue, tamquam

natu-

naturæ ſuæ oblitum conſcendet ſemper ſurſum) et comparata quoque ſui opificis voluntati, quæ eſt præcipuum vniuerſi bonum, et cui inſeruire debet totus naturæ ordo; nullam patitur propterea vim, ſi eam non [a] ambiet. Quemadmodum etiam elementa, cum cæleſtium corporum impreſſiones, et motus ſequentur, vim nullam patientur. Qui naturæ ordo exigit, vt inferna a ſupernis agantur, atq. regantur. Quod exemplo naturali compertum iam nunc eſt in corporum cæleſtium motu. ſiquidē corpora quæ illis ſubſunt; eo felicius, et conſtantius motum eorum videntur exprimere, quo illis ſunt propinquiora: et quo magis remota, eo ſolita erunt infelicius motum illum retinere. quod elementorum atque palam euenire perſpici poterit. Nam quia a conuerſione cæleſtium corporum procul diſſitum eſt, vix veſtigium quoddam eorum motus circularis, influxu, et refluxu adumbrabit. Quamobrem, nec ignis conuerſio in propria ſphæra poteſt violenta dici; nec aquarum receſſus a terræ aliquota ſuperficie, coactus a nobis. ſed cōſequitur potius, vt vnius corporis ſimplicis geminus naturalis motus exiſtat, alter ſcilicet, a forma intranea, et natura ſpecifica: alter vero a prima forma, externa, et vniuerſali; quæ et primum efficiens eorum eſt: vel etiam vnus a natura naturata, alter vero a natura naturante: quo fit, vt elementum aquæ, ſi ſuæ propriæ naturæ relinqueretur, totam ſemper terram operiret (et ita eſſe factum oportuit in hoc rerum [b] principio) nec obſtat vnius corporis duo eſſe loca naturalia; ſecundum quod diuerſimode comparantur ad vniuerſum (vt modo de motu duplici vnius ſimplicis corporis dicebamus) ſi enim aqua cōſideretur vt ſingulare corpus eſt, intra ordinē inanimatorum locū poſcit vndiq. ſuperiorē terra: ſi vero quatenus proportionē habet ad bonū

a Auerro. 4. cæli. S. Tho. 2. diſt. 14.

b Ita factum eſſe initio, vt probabilius exiſtimo.

totius vniuerſi, expoſcit locū naturalem quem poſtmodum habebit congregata a nobis in locum vnū. Id quod manifeſte in aere videre licet, qui vt ſubtile elementum eſt, expoſtulat, ſecundum ſuam propriam naturam locū multo ſuperiorem terra; ſicuti eam excellit dignitate. tamen quatenus neceſſarium elementum futurum eſt vitę futurorum animalium, quæ eſt præcipuum bonum vniuerſi, ad quod omnia elementa habent naturalem, et cōmunē inclinationem; naturaliter eſt circa terram. Immo vero aliquando ſubtus illam erit, quo naturaliter deſcendit ne detur vacuum. Simile ergo iudicium ferēdum eſt de elemēto aquæ: immo etiam de omnibus aliis. Ex quibus colligere cuipiam licebit, primis duobus diebus præcedentibus aquam optimo iure fuiſſe vniuerſæ terræ ſuperfuſam, tamquam in loco naturali, ſuæq. propriæ naturæ conuenienti. Quapropter terra hactenus dicta eſt inuiſibilis: hoc autem tertio die quando congregatę fuerint aquæ in orbem circa terram in locum vnum ſuper eam, vt ſit locus viuentib. id fiet. Qui aquarum locus eſt illis naturalis ſecundum inclinationem, et propēſionem quam habent ad totum vniuerſum, et bonum illius. Sic conſequenter locus aquarum, et quem nudius tertius antea habebant, et quem modo congregatæ in locum vnū habebunt; illis erit naturalis, et nullo modo violentus. Vnde licet terra fuerit facta in vſum animalium, non fuit tamen otioſum, quod ab initio vſq. hodie aquis cooperta produceretur, ac eſſet: vt ſic noſtra ſapientia exprimeremus, totam ſuperficiem terrę eſſe conſentaneum, et naturalem locum ipſarum aquarum, ſecundum propriam naturæ inclinationem. Elementum igitur aquæ, imperio noſtro diuino, hoc tertio die ſecedat in Oceanum, tamquam in locum aquis cōmunem; inq. terræ viſcera illa,

quæ

quæ ſupra diximus. Quod[a] quidem elementum in loco prædicto ſitum, ſupereminebit proculdubio ſuperficiei illi terræ, quam homines, animalia, et plantæ incolent. Quod in primis ſenſui conſentaneum hominibus erit, tum etiam rationibus. Nam ſicut locum ſibi vendicant corpora producta, ac producenda, (quoniã quanta ſunt) ita ſitum ratione qualitatum, leuitatis nimirum, et grauitatis: atqui terra omnium elementorum grauiſſimũ eſt, aqua vero non vſque adeo: ergo illam ſua natura ſubſidere oportebit, et hãc natura ſua eminere. Preterea, aquæ proportio ad terram decupla[b] eſt: vendicat igitur aqua locum ſibi ſuperiorem terra. Senſu vero, quod homines qui nauigabunt mare, ſeſe non ſemel animaduertiſſe videbunt, cum a litore ſoluent,[c] conſcendere. Et ab huiuſmodi maris tumore, et eminentia ſuper terram, et quod nihilominus ne hanc peruadat, procul arcebitur: verbo noſtro commendabitur hominibus, ac etiam prædicabitur inſignis noſtra potẽtia, prouidentia, et philanthropia. Quem enim exiſtimabunt hoſtiis concluſiſſe mare, quãdo nudius tertius erumpebat quaſi de vulua procedens, cum ponerem nubem ego Deus veſtimentum eius, et caligine illud quaſi pannis infantiæ inuoluerem? Ego quidẽ circundedi illum hodie terminis ſuis, et poſui vectem, et oſtia, et dixi: Vſq. huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumẽtes fluctus tuos. Et ita terminum poſui ego opifex aquis hoc tertio die, quem non tranſgredientur, nec conuertentur operire terram. Et poſui arenã terminum maris, præceptum ſempiternum quod non præteribit: et non commouebuntur, et non poterunt; et intumeſcent fluctus eius, et non tranſibunt illud. Certa enim lege, et gyro nunc vallaui abyſſos, et legem poſui aquis, ne tranſeant fines ſuos. Itaq. verius, ac certius exi-

Iob 38. — *Pſal. 103.* — *Ierem. 5.* — *Prouer. 8.*

a *Oppoſitũ tenet Caiet. & Contarenus Cardin. lib. 2. de elementis.*

b *2. de generatione.*

c *Preſertim autẽ extra Gaditanũ; & hoc ipſum euenit iis, qui ſinum (teſte Baſilio) Arabicum ingrediuntur.*

ſtimandum erit hominib. Dei ſui voluntate, ac iuſſione, hac die tertia vtriq. elemento eueniſſe: aquæ videlicet, ne vmquam, etſi altior terra ſit, eam totam obruat: et terræ, vt quibuſdam ſuis terminis maria detineret, ac terminaret: potius quam hoc a natura eſſe a conſtitutum. Etſi etiam ſtellas voluntatis noſtrę executrices potuimus creaſſe, quæ cum ſolis ardore vehementem aquarum multitudinem in zona torrida abſumerēt, atq. in aërem conuerterent: vt quæ in Septētrione gignentur aquæ, terram ibi non deglubant, et abſorbeant: ac voluerimus eas tamquam meridionales ſuppetias ſedulo afferre, et perenniter ad Auſtrum decurrere. Quamobrem et hoc quoq. prouidimus hodie, vt pontus b aliquis ſolum altius habeat, ac ſubinde aliquis alius c decliuius (quapropter vtrobiq. aquæ non refluent) et ita deinceps depreſſum, licet non vbiq. æqualiter, vt illinc, ſcilicet ex iſto, aquæ perenniter defluant ad Meridiem, et magna celeritate. Atq. ob eam ipſam cauſam etiam eueniet, vt fiant ſub zona torrida aſſiduæ pluuiæ, ſole nimirum largos, et ingentes vapores attrahente: ex quibus amnes, fluuiiq. d longe, lateq. patentes gignentur, atq. decurrent. quo commodis, ſaluti. futurorum incolarum ita cōſultum iri voluerimus.

Quamuis igitur litora, et oras maris depreſſiores terra, atq. humiliores eſſe dubitandum non erit; quod fluminum ad mare decurſus maxime declarabit: non tamen totum Oceani conuexum eſſe terra humilius exiſtimandum erit. Quinimmo et interdum perſpicient homines, flumina reiici retro a mare; præſertim cum exæſtuabit, ac veluti ebulliet: quod ſane indicabit hominibus, ſola potentis Dei manu, ac iuſſione congregatas fuiſſe aquas in locum vnum, et aridam apparuiſſe: detineriq. illas, ne terras omnes abſorbeant. Eademq. noſtra etiam prouidentia

a *Vt nititur multis rationib. probare Petrus de Apono, cognomento Conciliator, differentia 13. quem repudiat bonis argumentis Commentator Sphæræ, c. 1. Mare eſſe altius terra, teſtatur etiā Cicero lib. 1. de natura deorū, Plato in Timæo, Dionyſius Areopag. Baſil. homil. 4. id de mari rubro reſpectu Aegypti ait. Item Theodoretus in Catena Pſal. 32. ibi, Cōgregans ſicut in vtre aquas maris.*

b *Talis eſt Euxinus.*

c *Cuiuſmodi eſt Boſphorus Thracius.*

d *Quales cū primis fuerunt, et modo ſunt Indus, Gāges, Niger, Maragnonus, Dabayda, S. Marthæ, et quē vocant Vinperiā.*

tia

tia factum eſt, vt permultis in locis abiectas ſibi habeat ingentes arenas, altiſſimos montes, et duriſſimas rupes: quas nec frangere poterit, nec ſuperare; vt huiuſmodi, impedimēto ſint etiam, ne tota terra a mari deglubatur. Quod opus noſtrum, veluti egregium miraculum, videlicet quod mare altius terra cum ſit, a nobis detineatur ne illam obruat; maxime noſtram potentiam hominibus [a] commēdabit. Ex quo ſequitur, terram toto elemento aquæ, quod Oceanum videlicet, et mare Mediterraneum homines nuncupabunt, (multoq. verius ſi his adiungantur fontes, flumina, lacus, paludes, et id genus omnia quæ ex mari profluunt) minime eſſe maiorem, nec vero æqualem: quin potius elementum aquæ terra tota eſſe maius magnitudine, et profundius, et [b] latius. Nam quod, vel quale miraculum eſſet, mare totam terram nō obruere; ſi hæc corpulentior, et vaſtior illo eſſet? Fruſtra igitur a repreſſione maris, et congregatione eius, ne terrā deglutiat, noſtra potentia tantopere commēdaretur hominibus a nobis efficiendis. Et cum in terra ſint præterea ex huius diei opere noſtro, immēſæ aquarum voragines futuræ, quas illa tamquam vtero geret: quia et ſub aquis aquæ ad imum vſq. reperiētur; et ad hæc in ſummis montium, atq. in imis; vt tota iis plena, ac tamquam ſpongia eſſe videatur: quomodo non multo magis mare, cum tota aqua reliqua in vnum locum (coactione ſcilicet) redactum, tota terra maius non erit? Quia aquæ iſtæ infernæ, quibus totum elementum aquæ, quod inferiorem mundum cum aliis tribus componit, conſtituitur: pulcherrima nimirum quadam ſerie, et ferme nullibi interrupta, per abditos terræ poros, et meatus, cum mari omnes cōſentient, et [c] coniungentur. cuius rei manifeſte certe hominibus indicationem præbebunt amnes, et torrētes; qui

a Maris aquā eſſe terra eminentiorē tenēt Baſil. homil. 4. Hexamer. Hierony. in 3. cap. Abac. Caiet. in Pſal. 135. ibi, Qui fundauit terram ſuper aquas. & experiētia docet de mari Rubro.

b Oppoſitum tenēt Cardanus lib. 2. de ſubtilit. rer. & Alexander Picolomineus.

c Totum elementum aquæ tam marium, quam fluminū, & fontiū &c. eſt vnū corpus cōtinuū. et vide quā elegāter hic probatur tum ſignis, manifeſtiſſimis, tū pulcherrimo exēplo.

ad Oceanum deniq. omnes decurrere ingiter videbūtur quodam motu naturali. Adeo vt veriſſimum ſit, quod prȩcepto noſtro circa congregationem aquarum, omnibus ego opifex hac die pateſeci, ſcilicet, vnum eſſe, et cōtinuum locum, in quem iuſſi omnes aquas quæ ſub cęlo ſunt, congregari. Quemadmodum enim in omnib. animalibus quæ, poſtmodum a nobis ex anima, et corpore conſtitutis, a nobis producentur; in eorum corporib. totus ſanguis pertinens ad integritatem naturæ animalis; continuabitur per continuas, et occultas venas in corpore animalis: ſimiliter aquæ elementum, quod non ſolum erit ſuperficiei terrȩ neceſſarium, verum etiam viſceribus terræ, quib. a me Auctore naturę, per occultiſſimos meatus infuſum erit: vt ſic prouideatur plantarum germinationi, et mineralium productioni. Infuſum (inquam) erit; et collocatum a nobis, non ſolum in ſuperficie terræ, in mari, et in fluminib. et c. verum etiam intra receptacula illa ſæpe dicta, et intrinſeca terræ. Omnes tamen aquæ in vnum corpus continuum coaleſcent. Vt quemadmodū omnia quæ de terra ſunt, in eandem reuertuntur: ita omnes aquæ tam fluuiorum, fontium et c. quàm quæ viſceribus terræ continētur, ex mari progrediuntur, et in illud reuertētur, ſiue per manifeſtos, ſiue per occultos meatus. Et ita per apertos quædā aquæ, et per occultos aliæ meatus originē a mari deducent. Et per manifeſtos aliæ, atq; per abditiſſimos aliæ fluxus in mare reuertētur. Erit ergo certiſſimum, et perſpicuum, elementum aquæ eſſe terra tota maius, latius, et profundius. Tum quia ſolum Oceanum mare vndiq. per longiſſima ſpatia terram ambit, immenſa fere profunditate: tum etiam, quia nobilius elemētum eſt aqua quam terra, abſq. vlla cōtrouerſia: atqui in reliquis ſubſtantiis ita a nobis effectum, et cōſtitutum eſt, vt

Eccleſiaſtici 40.

eſt, vt quanto aliqua ſubſtantia, quæ per ſe ſpectat ad perfectionem vniuerſi, nobilior eſt, tanto præſtantior, et maior eſt magnitudine: ita ergo aquam multo latiorē, multo profundiorem terra eſſe oportuit. Rurſum, a huius noſtri imperii verborum ſerie, quibus aquas infernas in locum vnum cogimus, dicendo: Congregentur aquæ omnes quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum, et terra appareat arida: futuris omnibus hominibus patenter inſinuamus, hanc fuiſſe nūc temporis aquis vndiq. tectam, atq. adeo mole, et corpulentia minorem aqua; alioqui ab aqua vndique tota minime complecti potuiſſet: vt iam inſinuauimus ſuperiori die; cum res omnes inferne adhuc eſſent initio indiſcretæ quodammodo, et ſpiritus, ac ventus Domini ferebatur ſuper aquas motu quodam exili. Si igitur aqua totam terram antehac tegebat, et non erat tamquā putamen quod nucleum tegit (exile videlicet, ac minime profundum) maior plane tota terra erit: nec erit cur aliquando a nobis eſſe ita exiſtimare homines debebūt immiuutam, vt mole euaſerit ea minor, quod nos eam in locum vnum congregauerimus, certisq. terminis circūdederimus; ne illos, tamquam fines ſuos, pertranſiret, vt diximus. Etenim hæc profecto omnia certiores eos facient perſtare illam, etiam ſemper, ampliſſimam, et vaſtiſſimam, id eſt tantam, quæ niſi noſtra prouidentia detine- [illegible] retur

a Opinio autē oppoſita, videlicet, terram eſſe maiorē aqua, noua eſt; & ſanctis, qui in hoc primum cap. Geneſ. ſcripſerūt, videretur toto cælo a veritate aliena: & ſane etiam Platoni in Timæo part. 3. Ariſto. & Auerr. 4. Phyſic. 41. & 1. cæli 94. 102. & alibi; ac aliis celeberrimis Philoſophis. Et certe Ariſt. et Plato, a figuris Geometricis ille; et ab elementorum grauitate, & leuitate iſte, noſtram ſententiam pronūciarunt, etſi totā terrā habitabilem nō agnouerint; nec Oceanus nauigationibus tum perſpectus, & menſus eſſet. Quod ſi quid huic iſti contrarium aliquando dixerunt, ex aliorum eſt ſententia. Quod ſi oppoſitum iſti, qui omnia menſurant, dicunt; dicemus cum Pio II. Pontif. Max. menſores cæli, & terræ magis audaces videri, quam veros. & ſunt cyatho mare metientes, vt ait Gregor. Nazianz. lib. 3. de Theolog. Vnde certam quantitatem in elementis velle ad amuſſim quærere, inſaniæ proculdubio eſt. Sicq; puto, nec a nautis, nec ab aliis Oceanum, nec a quoquam terram dimenſa eſſe; nec ita examinata hæc duo ſecundum ſe tota, vt de tota vtriuſq. elementi magnitudine, videlicet longitudine, latitudine, & profunditate certa poſſit ferri ſententia.

retur, facile terram totam peruaderet, et obrueret: ſicuti obruebat heri, et cum nudius tertius creata elementa fuerunt.*

ET FACTVM EST ITA. Igitur imperio Dei factum eſt, vt mira quadam naturæ propenſione, ad mare, tãquam ad illis aſſignatum locum, ſicuti etiam nunc, aquæ decurrerent, vt ipſe iuſſerat. Non enim eſt dubitandum, quandam vim habere locum ab opifice rem locatam ſeruandi, ac fouendi.

ET VOCAVIT DEVS ARIDAM TERRAM. Hanc autem aridam, quæ congregatis aquis in locum vnum, modo explicato emerſit, et ſecundum ſuam extimam ſuperficiem prodiit, Deus Opt. Max. poſtmodum per Adamum protoparentem, quem naturas, et facultates elementorum probe docuit, vocauit terram. Nullus autem rei, quam ignorat, nomen [a] imponit. Eſt enim nomen definitio complicata, et obuoluta: ſicuti definitio nomen eſt explicatum, et [b] expoſitum. Vnde Adamum ſimplicitatis, ac rerum ignorationis accuſare, inſania eſt: quippe qui reuera per ſpecies inditas, et Angelorum miniſterio, ac Dei oraculis ferme ad miraculum vſque doctus fuerit. per eum igitur poſtea, quando rebus omnibus ſic edoctus a Deo, nomina impoſuit, vocauit aridam iſtã Deus, ex aquis emerſam, terram. Modo autem fecit Deus terram aridam, eiectis nimirum ab ea aquis. Non autem fecit

* *Licet ſatis in paraphraſi probatũ hactenus ſit, aquã eſſe terra maiorẽ; hæc tamen ratio optime eidem ſententiæ ſuffragatur: videlicet, Si diluuii Noatici tẽpore (vt dicemus) tãtum halituum maris, et reliquarum aquarũ in imbres verſum eſt, vt una cum iugi illa eruptione aquarum, quæ ſubtus terrã erãt, intra quadraginta dies, & noctes totã terrã ſupermerſerint, ac multis cubitib. altiſſimũ omniũ mõtem cooperuerint: quomodo rurſum aqua nõ multo maior tota terra eſt? Neq. enim aut dilapſæ aquæ illæ ex altiſſimis cælis ſunt, vt infra dicemus; aut eas nouo, & inſolito modo eo tempore Deus auxit: quamuis nouo, & admirabili quodam modo, eas ita ingentes ſurſum (quod non potuiſſet natura) euexit, & fluere deorſum poſtmodũ fecit. Et hæc quæ de quantitate, et corpulentia aquarum maxima dicta ſunt, verbo Dei maxime conſentanea eſſe iudicare debemus: & ſequentes diuinam auctoritatẽ, & cæleſtem doctrinam profitentes, nulla ratione diſſimulare, aut etiam non pro virib. demoliri debemus omnẽ altitudinem ſeſe extollentem aduerſus ſcientiam Dei.*

a 4. Metaph. 10. & 6. Metaph. 34.

b *Euſtathius in 1. Ethicor.*

fecit totam terram aridam; ſed partem eius dumtaxat aridam fecit, illam videlicet, quam animalia, et homines colerent.

CONGREGATIONESQVE AQVARVM APPELLAVIT MARIA. Et quemadmodũ aridæ per protoparentem poſtmodum, modo dicto, ſuum nomen impoſuit: ita ſimiliter congregationib. aquarum, ſiue aquis in locum vnum ſuper terram congregatis, ſuũ dedit nomen: et eas aquarum congregationes appellauit maria. Licet enim aliæ gentes vbicumque confluentias aquarum perſpiciant, diuerſis nominibus ab earum inter ſe differentibus qualitatib. cognominauerint: Hebræi tamen a prima per Adamum impoſitione; et nos qui ab eis originem ducimus, maria nuncupamus. Appellãt autem [a] alii maria, illarum aquarum ſinus; quæ ſalſæ ſunt: dulcium vero dicunt lacus, et paludes. Quare illis mare ab amaritudine dictum eſt: nobis autem Hebræis Iam, a perpetuo fremitu, ac ſtridore [b] dicitur: nam, ſic fremit ſemper, ſic ſemper litora plangunt. Et quoniam etiam lacus fremere, ac tumultuare flantibus ventis ſolent: inde nos Hebræi congregationes omnes aquarum in eis, appellamus maria. Alii [c] autem, lacus huiuſmodi, etſi aliqui eorum ſalſi, et amari videantur; quia tamen ex accidenti id fieri exiſtimatur; maria non appellant: nimirum, quod vel eorum aqua fiſtulis aliquibus terræ aduſtæ infectis, eo decurrat: vel quod prætetfluat, et alluat acetoſas aliquot, aut etiam ſalſas, ac ſulphureas mineras: ſicuti illas eſſe, perſpici poterit multis in [d] locis. At vero mare ideo ſalſum eſt, et amarum, quod ſicca quadam, et craſſa exhalatione ſolis, et ſiderum, perenni actione, a fundo eleuata, totum aſpergitur, et contaminatur: aliis ſubtilioribus exhalationibus (præſertim aqueis) in aerem conſcendentibus

Latini & c.

a *Latini.*

b *Ita docet Steuchus, eo quod Hebræis mare dicitur Iam.*

c *Latini.*

d *Tales ſunt in Patauino agro, & Apponi, & alibi: et dicũtur balnea.*

bus

bus, atq. in nubes; et impreſsiones alias euaneſcentibus? Quamobrem et aqua maris corpulentior, et denſior eſt aquis dulcibus: et magis incaleſcit, et calorem fortius retinet. Siquidem rariora facilius a frigore peruaduntur. Et fit mare ab exhalatione illa et craſſius, et pinguius. Vt minime mirum ſit, ſi flammas ignis non perinde illius aqua extinguere valeat, ſicut extinguit ea quæ fluuiorum eſt, et lacuum. Ideo enim et qui ſe aquis marinis lauant, celerius[a] exſiccantur. Nam in ſale oleum continetur. quare quia ſal pinguior eſt, ideo moderate ſalſa melius nutriūt. Oceanum enim ideo ſalſum eſſe, quod ſedimentū aquarum ſit; et ſedimēta; lotium, ſudor; et reliqua animalium excrementa ſalſa, et amara videantur: non oportet recipere. Quinimmo arbitrandum, Oceanum aquarum omnium parentem, et progenitorem, nullatenus dici poſſe earum ſedimētum. Immo exiſtimandum erit hominib. hoc elementum initio iſto temporis fuiſſe dulce, videlicet; antequam radiis ſolis, atra iſta prædicta exhalatione, et malis halitibus aſpergeretur, et inficeretur. Quod deinceps quoq. fluuialibus aquis, quæ ponti fluctibus immiſcebuntur, tamdiu euenire perſpicient, quoad putrida illa exhalatione non inficientur.[b]

ET VIDIT DEVS QVOD ESSET BONVM. Non vidit diſpoſitionem aquarum opifex a ſe factam ſecunda die, videlicet præcedenti, fuiſſe bonam, ſeu ſuo inſtituto conuenientem; vſq. modo in hac tertia die: quemadmodum poſt conſummationem ſingulorū Dei operum, vidit illa eſſe bona; et laudabit opera ſua, dici nimirum primi, tertii, quarti, et ſexti; vt dicam vobis inferius, Deum ſingulis dieb. cōſummatis ſuis operibus, ea bona eſſe vidiſſe: ſicuti modo hac tertia die vidit opus ſuum, et illud laudauit, et approbauit. Hæc autem honoris præ-

a Ita Cardanus.

b Quinimmo & eſſe aquam dulcē in mari, quidā dicunt. quod exiſtimaſſe contendunt Ariſtotelē, Theophraſtū, Democritū: quia hi teſtantur, omnes piſces dulci aqua ali. Vnde falluntur Philoſophi, qui a maris ſalſedine conficiūt argumentū contra Chriſtianos de æternitate mundi.

ris prærogatiua ſolam ſecundam diem carere voluit;atq. a laudando ſuo opere ſecunda die abſtinuit opifex: eo quod illud,videlicet diſpoſitio aquarum,non fuit a ſe niſi tertia hac die abſolutum.Dum enim inchoaſſet aquas digerere die ſecunda,ſcilicet præcedenti,et certis in locis diſtribuere (quā diſpoſitione aptabātur homini,ceterisq. animātibus elementa, et venuſtatem admirabilem orbis conſequebatur) ſupremam tamen manum tanto operi non niſi tertia hac die impoſuit, et terram a naufragio liberatam [a] herbis,arboribusq. veſtiuit.Ob quam cauſam, in huius diei opere,quod Deus in eo effecit,bis opificem ſummum (vt vobis explicabo) vidiſſe dicemus eſſe bonum : iuxta geminum nimirum hoc opus,quod factum hac die tertia fuiſſe,vobis exponam : hoc eſt,et iuxta diſtributionem , et aſſignationem locorum ipſis aquis : ac deinde , quod terram plantis veſtiuerit. Vidit ergo Deus eſſe bonum , non ſolum aquarum congregationem , et terræ apparitionem:ſed etiam conſtitutionem firmamēti,aquarum quoq. ſecretionem pridie factam : ita vt Dei opera in ſegregandis aquis,in ſolidandis ſupernis cęlis,in fortificando aere,inq. educēda terra ex aquarum abyſſo; dicta nunc bona omnia ſint,hoc eſt,et vtilia Adæ,et animantibus:et quod præterea mundo ornamento perenni eſſent allatura.

a Ita loquitur Ambroſ.

Ita definiunt Rabbi Salomon,et cōmuniter Hebræi: quibus ſubſcribūt multi ex noſtris doctiſſimi.

ET DIXIT DEVS: GERMINET TERRA HERBAM VIRENTEM, ET FACIENTEM SEMEN. Intelligite nunc cauſſam, cur iuſſerit Deus, vt aqua locum terrę concederet.Videlicet,vt hęc herbis, et arboribus veſtita et pulchrior fieret,et vſui animalium (cum primis hominum) magis accommodata : alimentaq. illis confeſtim ſuppeditaret, et tamquam ad manus porrigeret.Ea enim omnia [b] promptiſſima ſunt,quę igne

b Muſonius. Vide Volaterran.li.32.

non

non indigent. Nam ſapientiſſimus prouiſor omnia prævidit, omnib. proſpexit. Et quamuis terra et gignere herbas, et producere arbores, tecta aquis, Deo volente mox potuiſſet: non tamen vult rerum opifex miracula edere; niſi cum vel rerum natura exigit (vt paulo antea exigere viſa eſt, cum mare ita ſecedere à terra viſum eſt, vt eminentius exiſtens, illam tamen totam nũquam obrueret) vel cum noſtræ ſaluti amanter conſulit: vt verbo ſcilicet eius fidem habeamus. Quinimmo hac eadem die, qua mare abierat in ſuum locum, capta veluti oportunitatẽ diſpoſitionis ab aquis factæ, terram ſuo verbo, tamquam iacto ſemine, confeſtim grauidam fecit; et tanta herbarũ, fruticum, et arborum varietate veſtiuit, quanta et nunc conſpicimus, et tunc temporis quantam illa capere erat idonea, atq. animalium vſibus ſufficere perenniter intelligebat. Vt hoc Dei exemplo diſcant homines oportunitatem, et occaſionem ad præclara, et vtilia negotia peragẽda, et cum hæc illis ſeſe obtulerint, non [a] prætermittere. Tametſi enim Deus mundum ſolummodo propter ſuã bonitatem creauerit, tamquam propter vltimum finem; vt eam namq. impertiretur, his quidem clarius, illis vero obſcurius; illum effecit, venuſtauit, et expoliuit. Vnumquodq. tamen mundi opus hanc habet connexionem cum aliis, vt quod antecedit, cauſſa præparatoria, ac veluti materialis eius operis ſit, quod illud confeſtim ſubſequitur: et hoc tamquam poſtremum cauſſam eſſe finalẽ operis antecedentis, et quodammodo etiam formalem: (quidquid enim alterius ratio eſt, poteſt tamquam eius formale quidpiam haberi) vt proinde ſibi mutuo opera ſigillatim hæc et cauſſæ, et effectus (in diuerſo tamen genere) exiſtant. Sic itaq. mare ſecedit a terra, et veluti eam præparat vt germinet. Terræ ergo germinatio finis eſt ſeceſſio-

[a] *Hoc admonet Paul. Galat. 6. et Salom. Eccleſ. 3.*

ceſſionis maris:rurſum et germinatio hęc ob animalia,et homines fit. Vnum ergo opus eſt alterius ratio: Dixit ergo Deus, Germinet terra et c. Cum audis tota hac geneſi rerum Deum imperantem hodie, pridie, perendie, atque ex animi eius ſententia vides omnia eueſtigio fieri: imperatoriam, et auguſtam eius maieſtatem adora, et magnopere admirare. eſt enim ac ſi dicat: Cum iam ab initio terram creaueram vacuam, atq. adeo veluti rudem, et ſterilem; non ſcilicet omnib: quas nunc ſtatim habebit, facultatibus præditã: moxq. emiſſione aquarum ad Oceanum detexeramus, et tamquam a longe ad germinandũ aptare inchoaueramus: nunc vero rem ipſam perficiẽtes, et vim germinandi tribuimus, et noſtro verbo veluti gratuitam facimus. Neq. pro iſto dumtaxat tẽpore, ſed pro futuro quoq. et quamdiu futurus rerum ſtatus, ordoq. durabunt: et illa vſui hominum erit neceſſaria. Quãquam deinceps temporis, ſolis, et ſiderum conuerſione, et luce, tamquam communib. organis, ad hæc propaganda nos ipſi vtemur; quibus nunc minime vſi ſumus, cum ea effecerimus: ac voluerimus præterea, vt nunc ſeminibus, vel his quæ ſeminum officia exercent antea, fecundetur: ſine quibus irriti ſint motus cælorum, et in excolenda terra futurorum hominum labores vani. Rerum igitur naturæ, et vires a nobis emanarunt. Etſi enim hæc hominibus a formis profluere videbuntur, quomodo recte philoſophantes volent, et eis vſus probabit: vt habeant autẽ formę tales vires, et proprietates, nulla cuipiam videri debebit poſſe eſſe ratio, præter ſummi Dei opificis, id eſt, noſtram voluntatem: et hoc eſt quod a nobis; tota hac ſerie rerum geneſis, omnibus expoſitum intelligent. Videbunt item, qua ratione gradatim in abſoluenda, et ornanda terra, nunc quoq. vt heri, ego opifex progreſſus fuerim.

Formæ non niſi a Deo habẽt ſuas vires, & facultates.

Quod

Quod et cras,cum cælorum ornamenta aggrediar,ſimiliter facturus ſum.Elementa igitur non aliquid procreaſſent, niſi ea verbo meo antea virib. facultatibusq. auxiſſem,ac fecundaſſem. Iubemus autem primum,vt herbæ virentes (quarum nomine cum primis intelliguntur fruges cuiuſuis generis, quas et in eſcam Adamo futuro, et animalib. procreandis a nobis, die ſexto nos eorum opifex dedimus) producantur: tamquam imperfectiores arboribus (vt luculentius videatur, a quo didicerit natura ab imperfecto ad perfectũ progredi; a ſuo videlicet conditore) ac etiam,tamquam pluribus animalium generib. deſeruientes, quam arbores. Fere enim omnia animalia herbis veſcẽtur,arborum autem fructib. non omnia, ſed pauciora. Sicq. Nos ſummus mundi opifex,et prouiſor, optimo prouidentiæ, et gubernationis modo vtentes, omnibus futuris gentibus diuiniori, et pulchriori; primũ prouidemus,[a] et prodeſſe voluimus generatim multitudini,et cõmunitati,quam ceteris quibuſdam paucis creaturis:licet inſigniores,et excellentiores aliis eſſent futurę. Non ſolum autem dicimus hac die,vt terra producat,et germinet herbas,et fruges, ſecundum ſuas naturales ſpecies,in indiuiduis innumeris; ſed virentes,et maturas: vt homo,et animalia omnia,poſtquã ſtatim creata fuerint, eas ſi velint confeſtim poſſint depaſcere. et tales ſint, vt licet modo abſq. ſemine,ſolo verbo Creatoris,id eſt,noſtro, ex fecunditate terræ illi a nobis tributa prodierint: deinceps tamen ipſæ ſemen producent, quo ab ipſis in terram effuſo, ſuas ſpecies in futura tempora, propagatione,et generatione iugi conſeruabunt.

a Sic docet Ariſt. melius gubernari rempub.

ET LIGNVM POMIFERVM FACIENS FRVCTVM IVXTA GENVS SVVM, CVIVS SEMEN IN SEMETIPSO SIT SV-

PER

PER TERRAM. Tum etiã,ac præterea dixit Deus: Producat terra arbores grandiores,ſcilicet plantas fructiferas,et facientes fructus ſecundum ſpecies ſuas, et ſimilitudinem ſuam ſpecificam; ita vt non ſolum fructus ſuę naturę proprios gignant, et producant: ſed etiam ſibi ſimiles fructus,ac ſibi ſimiles arbores generẽt,et proferant, atq. ſeminificent: quarum ſemen ad fructificandum, et generandum ſibi ſimilia in natura, et ſpecie, ſit vnicuiq. arbori intimum,et intrinſecum. Quemadmodum enim herbarum,et frugum,quę plantæ ſunt humiliores,in vniuerſum duplex [a] genus eſſe intelligendum erit (vt apparebit infra) ita et arborũ triplex in vniuerſum genus erit. Nõnullæ namq. ſteriles omnino erunt,vt ſalices,quę nec ſemen, nec fructum emittent. Aliæ vero ſemen quidem facient,ſed non fructum;veluti fagus,et pinus. Alię erunt præterea fecundiores, et fertiliores; vti erunt pomiferæ, corniferæ,et glandiferæ. quæ omnes inter ſe fructu,folio, flore,ſemine,radice,cortice,materia,caudice ſecernẽtur: ac earum quædam etiam ſexu, nimirum palma, ilex, et quercus. Quas omnes terra nunc Dei ſui, hoc eſt noſtro verbo aptata,et fecundata,primum emittet:vt alimento, et commodis hominis,et aliorum omnium procreandorum animalium inſeruiant. Etſi enim ſteriles nullius hominibus eſſe frugis videbuntur,tamen innumeras eis vtilitates præſtabunt,et ſtruendis nauib. ad maria tranatandum,et erigẽdis vitibus, et ædificandis domib. ac deniq. depellendo frigori:pręter medicamentorũ beneficia ſtudioſis hominib. prætermittenda, quod ea Medicinæ vacantes diligenter,aliis ſuæ ſobolis tradituri ſunt: et quod plura ſint,quam et cõplecti nunc ſub breuib. a nobis debeãt: vt veriſſimũ profecto ſit,apud homines,cum creati a nobis fuerint, ſi ſe ęgritudinibus ſua culpa ſubdiderint,

[a] *De diuiſione,natura,et qualitatib. plantarũ ſcripſerũt multa præter Pliniũ,Dioſcorid. Alber.et alios priſcos; Volaterran. lib.26. et Cardan. lib.6.de varietate accuratiſsime.*

ægrotantium remedia præſcrib. ſæpe adeſſe, et ea medicos procul quærere. Quarũ herbar. et frugũ, arborumq. et lignorum a nobis hac die productorũ, tanta vt ſit, et tam immenſa varietas volumus, vt vix explicari ſigillatim ab ingenio humano poſſit. Rurſum herbarum, et frugũ duplex in vniuerſum eſt genus. Quædam enim non vidẽtur afferre [a] ſemen, quædã vero patenter ſeminificant, vt holera, et fruges ſunt: omnes tamen animalibus omnib. et cum primis hominũ generi beneficia ingentia ſuis virib. et proprietatibus præſtabunt. [b] Quarum quamplurimæ miram, et valde iucundam voluptatem hominum afferent odoratui; quales erunt paliurus, hyacinthus, narciſſus, roſa, calami aromatici, et id genus complures. Ex quibus ſolebunt pigmentarĩi homines ſuaues aliquos paſtillos, et odorifera vnguenta conficere, quibus et ſpiritus recreare; et ſi aliquando eis oportuerit, [c] ac neceſſe fuerit, reſtaurare facile quiſq. poſſit: et alias ſemper gratiſſima erunt hominibus mollibus.

a Baſil. tamen hic homil. 5. cum nonnulla quæ ſemẽ nõ emittant, enumeraſſet, ait, illa in fundo, & radice vim ſeminis habere. Et hoc, vt litteram quam habebat integram haberet, quæ a noſtra videtur paulo diſcrepare.

b Quare Aegypti Medici dicuntur, quod vehemẽti ſtudio iis dignoſcẽdis incumbant; vt ait Plutarchus lib. an brutis inſit ratio: et Dioſcorides vitam totã peregrinatione cõſumpſit in eis cognoſcẽdis, & peruestigãdis, vt de noſtro genere eſſet bene meritus.

c Peſtis tempore videlicet.

ET FACTVM EST ITA: ET PROTVLIT TERRA HERBAM VIRENTEM FACIENTEM SEMEN IVXTA GENVS SVVM. Et factum eſt diuini opificis imperio, admirabili quadam naturæ terræ inclinatione, actione, et virtute generatiua, qua Deus illam, cum ab aquis ſeparauit, fecundauerat, et grauidam fecerat: vt produceret ipſa terra, non hæc videlicet, vel illa terræ pars, ſed illa ipſa tota, quam ex aquis emergere pridie iuſſit: vbi tamen, et quo modo capax a Deo facta fuit; ac iuxta partium illius ſitum, et cælorum poſitiones. Cum enim autumnus eſt in hac noſtra prouincia, eſt alibi ver, et alibi æſtas, vel hiems. Factum (inquam) ergo eſt, vt hoc modo, et diſcrimine tota terra produceret herbarum, frugum, et arborum immenſam mul-

multitudinem,generibus, et ſpeciebus, figuris, foliis, fru-ctibus; et proprietatibus differentium; et omnibus animalibus, maxime hominibus conuenientium. Adeo vt quiuis noſtrum Dei ſapientiam laudare,et adorare cogatur; quoties figuram, diuerſitatemq. foliorum in huiuſmodi plantis,et arboribus conſiderabit.Vt enim nonnulla leuia ſunt, et alia aſpera, aliaq. criſpantia,vt bugloſſa; ita ſunt et oblonga, rotunda, anguloſa, ſerrata, dentata, anguſta,lata,craſſa,tenuia,interſecta,diſcriminata. Obſtupeſcimus etiã immenſam in earum ſeminibus varietatẽ conſpicientes. Quædam enim nuda, quædam folliculis tamquam vaſculis incluſa, quædam rotunda, alia anguloſa, nonnulla parua, alia magna. Amplius,et quantum, quomodoue caudice plantæ inter ſe differunt. Quippe quem alibi rectum,alibi obliquum;in quibuſdam vnum, in aliis plures; in nonnullis altum,ac denique in aliis humilem ſpectamus. Ad [a] hæc, et quantum in radicibus: quarum quædam late ſerpunt, aliæ anguſtæ ſunt; quædã molles,quædam prędurae:ſed et quarundam materia grauis eſt,aliarum autem leuis:ad hæc,aliquarum dura, aliarum mollis, et flexibilis,ſciſſibilis, fragilis, nodoſa,venoſa; apta vel ædificiis, vel igni; diu, vel breui duratura. Fructus vero, et poma vſque adeo figura, colore, et ſapore, ac virtute inter ſe differunt; tantaq. denique ſunt multitudine, vt ſtellas cæli ſuperare videantur. Quæ vna varietas, et herbarum, fruticum, et plantarum multitudo, earumque diſſimiles, et contrariæ qualitates, et vires, Dei opificis bonitatem, potentiam, et ſapientiam vſque adeo patenter cunctis demonſtrant; vt in admirationem, et ſtuporem inuitum quoq. animum rapiant. Nec enim in vnam ſolis ſub zodiaco conuerſionem, tãquam in primum auctorem,ſunt hæc omnino referẽda.

a Hæc omnia mira quadã eloquentiã Gregor. Nazian. amplificat libro 3. de Theolog. vbi etiam ait: Etenim hæc omnia vt in publica quodã epulo naturæ tibi propoſuit, et quibus vtaris, et quibus oblecteris; vt ſi non aliunde, ſaltim ex beneficiis quibus te afficit, Deũ agnoſcas, etc.

Agens enim vniforme eſt, licet acceſſu, et receſſu maturitatem,ſuauitatem,vitam illis,ac mortem,et id genus afferat.In diuerſas igitur terræ, et contrarias diſpoſitiones referre hæc omnia cogimur; has vero diſpoſitiones illa initio a ſolo habuit Creatore. Quamuis etiam ſi ſol eas efficeret,Creatori deniq. eius ferre illas acceptas,ſicuti et reliqua omnia,deberemus:qui ſoli vires,vt hæc et alia efficere poſſet, munificentiſſime conceſſit. Factum autem eſſe ita vt Deus præceperat, et terram germinaſſe omnes ſpecies lignorum, arborum, et plantarum, et herbarum; non ſolum quæ hominibus erant conuenientes, verum quæ nociuæ,et venenoſæ futuræ fuiſſent;vt cicuta,elleborus,et [a] huiuſmodi: hac die imperio Dei,cōſtanter habetote. Nec ſolum omne genus herbæ tunc Dei præcepto ſatum,et ortum eſt:verum etiam quodcumq.plantarum genus,ſterilium ſcilicet,et fecundarum.Sic enim vniuerſi huius conſtitutio poſtulabat,et ſecunda perfectio, cui Creator præ ceteris rebus, vt videtur, operam dabat. Ac præterea, quia primo parenti nil eſſe potuit tunc temporis noxium,ſi nollet; ac probe,et exacte naturas,et rerum facultates intelligebat. Quid quæſo aut venenoſius, aut virulentius inuenire eſt aliquibus ſerpentibus? ſunt enim viperæ halitu adeo truculento,vt eo ſolummodo homines [b] perimant.Atq. hic ex verbo Dei ſplendide colligere debetis,hoc genus animalium,videlicet ſerpentes, dracones,et c. ante peccatum fuiſſe.Quinimmo et primam mulierem non expauiſſe (vt inferius,cum primorum hominum peccati,et tranſgreſſionis ſeriem vobis enarrauero,dicam)vnius ſerpentis colloquium:quod forte ſciret, ſe Dei dono a nemine lædi poſſe, niſi a ſe ipſa. Ac ita de ſe,et ſua victoria nimium ſibi pollicita,colloqui cum ſerpente,et congredi non recuſauit. Et hoc modo,vt puto, illa

a Baſil. homil. 5. Hexamer. & vide quam optimis rationib. hic probatur, hac die omne genus herbæ imperio Dei ortū eſſe.

b Tales ſunt in Phœnicia, teſte Cælio lib. 15. cap. 25. & Matiolus in 6. libr. Dioſcorid. aliquot prodigioſa exempla de quorundam ſerpētum venenis affert.

illa [a] primum ſeducta eſt:etſi ruſſum tunc quoq. ſeducta eſt,cum viro ſuo pomum edendum tradidit:arbitrata illum non moriturum, cum ſe viuere,quæ de eo comederat, perſpiceret : vt inferius dicam. Quo fit, horrorem,et inimicitias inter Euam,et ſerpētem;et alios animi,et corporis motus contra animalia huiuſcemodi venenoſa,et nociua ; ex peccato orta fuiſſe. ſicq. ante illud Eua alloqui ſerpentem , et de ſua ſalute cum eo diſſerere non expauit. poterant enim tunc homines ipſi multis modis animalia lædere,hæc vero illum nullo modo lædere poterant:cum ob eximia dona quibus Deus eum inſtruxerat, tum ob Dei ſingularem protectionem.Quapropter [b] nō homini,ſed illis metus inerat. Itaque ſicut ſerpentes ante Adæ peccatum (vt infra dicam) creati ſunt:ita exiſtimandum,cicutas,et noxias herbas,ac venenoſas ſimiliter tūc temporis fuiſſe productas.Quamuis etiam credendū eſt, Deum non ſolum hominum vſui, ſed ceterorum quoq. animalium beneficio plantarum creatione proſpexiſſe. Quorū certe nonnulla ſunt,quæ hoc genus herbis libenter veſcuntur. Turdi enim elleboro victitant, et coturnices napello:quæ ſolent hominib. eſſe venena,et alia aliis. Namq. corporum animalium conſtitutiones varię ſunt, et diuerſæ. Quare vna, eadēq. res, quæ vni eſt venenum; alteri cibus, et forte etiam ſuauis,et ſalubris ; pro cuiuſq. ſcilicet qualitate, et [c] temperatura. Et ita animalia multa ſunt quæ venenoſis cum herbis,tum animalibus [d] etiam paſcuntur. Quod contingit partim corporum temperaturis,et diſpoſitionib. vt dixi; partim occultis proprietatibus; ac deniq. etiam aſſuefactione:ab aſſuetis enim paſſio non fit. Et amplius, ſunt quædam plantæ quibuſdam morbis remedia afferentes,vt experiētia manifeſtat. quibus etſi tunc non indigeret Adamus, indiguiſſent forte

a Iuxta Paul. 1. Corin. 2.

De peccato Euæ.

b Contra Caietã. dicentem nō expauiſſe Euam , quod ſerpēs eſſet rationale animal.

c Hoc ſcite docet Auicen. 1. fen. primi doctri. 3. cap.

d Et Alber. Mag. lib. 6. de animalib. cap. 8. ait ſua ætate fuiſſe puellam, quæ ſcorpios illæſa comedebat : & de Mithridate dicitur, quod ab infantia venenū capiebat.

animalia [a] reliqua. Nouerat tamẽ Deus,quaſdam earum paulo poſtea Adamo magno adiumento futuras; vel ad conſeruandam bonam valetudinem, vel certe ad reſarciendam cum fuiſſet deperdita: niſi tamẽ et aliam rerum creationem poſt Adæ peccatum cõminiſci voluerimus: quod ſane non habet veritatis apparẽtiam. Prçterea [b] ſpinas,ſentes,rubos hac die terra etiam produxit. Quare etiã fuerunt ante Adæ peccatum, licet non eſſent tunc temporis illi noxiæ, quomodo poſtea expoliato donis factæ ſunt: etſi poſt peccatum vberior, et promptior facta eſt terra ad ſentes,ſpinas, et rubos gignendos, et noxias herbas procreandas. Adeo vt præ eorum multitudine ægre colere homines terram poſſint, çgre inſalubres,et noxias herbas pænitus deuitare: [c] [d] ſed et hac die productus etiã eſt voluptuoſiſſimus,et amœniſſimus hortus quidam in Eden,quem paradiſum [e] vocabimus:in quem a ſui conditione tranſlatus fuit primus homo.

LIGNVMQVE FACIENS FRVCTVM. Et Dei magnificentiam erga Adamum oportet nos admirari. Nec enim iuſſit,vt terra produceret arbores, quæ ſuis poſtea temporibus poma, et fructus gignerent; ſed quæ tunc eſſent refertæ,et onuſtæ,cum in lucem prodiiſſent. Et nedum in illo amœniſſimo horto,vel in vna,aut altera parte tantum; ſed vbiq. hoc eſt,in tota terra,vt dixi:iuxta tamen illius capacitatem,et idoneitatem. Nec enim terra vbiq. germinare,et efficere ſingulas quaſq. herbas, et arbores, idonea eſt: exigunt enim quædam certas terrç diſpoſitiones,certa climata,et determinatas cæli regiones expoſcunt. Alia enim(videlicet Iudæa) balſami lacrymam, Creta comam dictami, Arabia aromatum flores, et India ſpicarum nardi ſegetem mittit. Quæ rurſus autem plantç,variæ variis in locis a terra proferuntur.videli-

a *Teſte Plutarc. teſtudines cum viperã comederint, veſcuntur origano:& capræ Creticæ ſagittis percuſſæ depaſcuntur dictamum; quo guſtato excutiũt ſpicula.*

b *Baſilius.*

c *Hoc declarauit prandium Eliſæi, 4. Reg 4.*

d *Venena autem, quæ parãtur arte, ante peccatum nõ fuerunt; licet fuerint res ſimplices, ex quibus componuntur.*

e *De quo paradiſo multa Patres ſcripſerunt,maxime Moſes Barcepha Epiſcopus Syrus in lib. de paradiſo.*

delicet, in locis apricis,vmbroſis, editis, niuoſis, cliuoſis, montuoſis,campeſtribus,præruptis,cultis, et huiuſmodi, aut naſcuntur,vel creſcunt. Quo fit,non eſſe cur autumno, et non vere exiſtimetis mundum fuiſſe creatum: ex eo videlicet,quod autumno,id eſt Septembri menſe, arbores peperiſſe fructus videtur. hoc namq. eſt,ad noſtra climata ferme reſpicere (præſertim ad mediam Palæſtinam,in qua Salem ciuitas ſita eſt,quæ mediū terræ [a] continet).in quibus hac anni parte arbores permultæ pomis onuſtæ viſuntur. Atqui ad totam terram præcipue reſpiciendum eſt in huius diei opere, quam pridie ſummus opifex ex aquis emergere iuſſit: vbi tamen,et eo modo, quo capax a Deo facta fuit,pro partium illius ſitus,et cęlorum poſitionū exigentia.Gratię enim ampliandę ſunt, cum Principis præcipue verba conſentiunt. Et ſic, cum autumnus in Palæſtina eſt, ver alibi ſit, et alibi æſtas, vel hiems;et Dominus dixerit,vt terra produceret herbas virentes et c.et ligna pomifera et c.qui ad ſolam Palęſtinā, vel medium eius reſpiciunt; vnam dumtaxat (atq. illam ſane minimam) terræ partem intuentur. Sed certe aliud eſt conſiderare rerum creationem,aliud autem earū propagationem,et incrementum.Habuit equidem earū creatio priuilegia aliquot,illaq. eximia,et quę negata earum propagationi deinceps fuerunt:vt videre eſt in animalib. quæ initio prodiiſſe in ſtatu perfecto, adulta videlicet, ac omnia præclaræ cōſtitutionis,nemo non fatetur.Et proinde,eſto veris tempore mundus creatus fuerit,potuit tamen opifex voluiſſe,vt terra ſemel hoc priuilegio frueretur;vt confeſtim tota produceret arbores pomis onuſtas hac lege,ne vere poſthac,ſed ſuis vnaquæq. illius pars,ac ſtatis temporibus (pro ſitus,et cæli clementia,ac locis)pareret,et cōſeruaret. Sunt enim nonnullæ arbores quæ ſil-

[a] Iuniores auctores priſcos irridēt qui aſſerūt, Iudæā eſſe ſitam in meditullio: quia Horus Apollo in Hieroglyph.cap.31. hoc tribuit Aegypto; Strabo autem tribuit Græciæ. Vide Hierony. in epiſt.ad Dardanū.

ueſtres ſunt, aliæ vero quæ domeſticæ; ac proinde nonnullæ quæ lõgioris vitæ,aliç quæ breuioris ſunt.Silueſtres enim domeſticis generatim durabiliores eſſe vidẽtur. Et in vniuerſum,quæ ocyus naſcuntur,citius etiã intereunt. Quinimmo et pariunt quædam ocyus,quædam vero tardius: hoc eſt,quædam æſtate,quædam autumno. Ac ſilueſtria aliter,aliter domeſtica.Et quædam plus,quædam minus vterum gerunt.Vnde ab hoc Dei facto infirmum argumẽtum erit ad affirmandum, non vere,vel alia anni parte,ſed [a] autumno mundum prodiiſſe.ſicut etiam non eſt ratio neceſſaria,et prorſus firma, ad aſſerendum vere fuiſſe creatum; ex eo [b] quod tunc herbæ virere vidẽtur. Nec enim omnibus locis vnum eſt cõmune ver,vel vna communis æſtas.Et eſſet hoc reſpicere non niſi horizontem rectum. Quod alioquin probabiliter fieret, niſi totã terram hac die indiſcriminatim Deus alloqueretur: quã habitabilem fecit,cum ait:Producat terra et c.Voluit ergo opifex,vt vna cum fructib. maturis terra primas arbores produceret:vt homines alimentum ad manum haberent:Quamobrem herbas quoq. et fruges maturas creauit:vt homo,et animalia omnia poſſent eas,ſi voluiſſent, confeſtim depaſcere. Et rationi maxime vobis conſonũ videri debet,herbas illas,et fructus longe ſuauiores, ac ſalubriores fuiſſe herbis, et fructibus, quos nunc vbiuis locorum terra producit: quoniam a Deo, abſque naturæ opere tunc prodire viſi [c] ſunt:et item,quia nondum opifex terram infauſta execratione inſectatus erat. Fuerunt ergo tria miracula in hac herbarum, et arborum recenti creatione. Nam et abſque vllo ſemine prodierunt, et in momento,et deniq. perfectæ numeris omnibus; abſque vllo vel incremento, vel temporis, ac beneficio naturæ. Hac præterea die Dei beneficio, et imperio, terra quoq. lapi-

a Ita putant quidam Hebræi.

b Ita docent alii Hebræi, et D. Ambroſ. quib. ſubſcribit Damaſce. li. 2.

c Et vinũ a Christo propinatum in nuptiis, teſte Architriclino, perfectiſſimum fuit.

lapides, et mineralia [a] concepit: vt non ſolum externe, verum etiam interne ornaretur, et prædita eſſet ſimultaq; alia, tum quæ in viſceribus abdita terræ ſunt; tum etiam quæ oculis conſpicimus, et contrectamus, hodierna die. terra, quibus erat fecundata, produxit: ex quibus homines, et animalia præclaras non tantum vtilitates, ſed etiam voluptates ad tranſigendam vitam acquirere poſſent: ſine quibus incommoda, et inſuauis eſſet eorum habitatio. vti etiam oportuit eſſe colles, montes, valles, fontes, et amnes. Quæ omnia inter ornamenta terræ, eademq. pæne animalibus, maxime hominibus, neceſſaria, communi hominum voce reponuntur. Niſi enim terram amnes, et riui irrigarent; quî quæſo fructus homines ex ea perciperent? certe ſterilis prorſus, et inutilis illa eſſet. Nihilominus tamen hæc, et ſimilia minutiora, veluti et quæ ex vnius, vel alterius diſerta explicatione colligere homines poſſint, et animaduertere: in hoc œcumenico opificio, Dei imperio prodiiſſe; hiſtoriæ breuitati, et præclaris ingeniis ſemper conſulẽtes, ſupprimimus, et ſilentio præterimus. Superuacaneum enim eſſe exiſtimamus, hæc minutiora ſigillatim perſequi, quæ communi terræ, aut aquæ nomine pridie me eſſe cõplexũ; debetis exiſtimare. Perſpicio namq. omnes vos poſſe ex dictis intelligere, Deũ hæc omnia, ſicut et herbas, et arbores, et deniq. animalia, ſimiliter effeciſſe. Stricta [b] nãq. eſt, et euagãdi facultatem nõ habet hiſtoria. In harũ ergo rerũ claſſe, quæ iã enarratæ ſunt, et a terra productæ, repo nẽda ſunt hęc: videlicet lapides, et minerę, et id genus. Metalla [c] enim non ſolũ homini lapſo ſunt [d] neceſſaria; verũ etiam et illi, et filiis eius, ſi ſteriſſent. Etenim cum poſitus fuerit Adamus in horto illo, quẽ paradiſum vocabimus (vt dicemus) vt operaretur, et cuſtodiret illum: vtiq. vel

[a] Quidam putant hæc Moſen tacuiſſe, quod abdita eſſent in viſceribus terræ; & ille ſolũ propoſuerit enarrare creata a Deo quæ ſunt omnium oculis peruia.

[b] Hieronym. in Ioan. cap. 1.

[c] Alber. Ma[illegible] lapidib. e[illegible] g. de lib. 4. [illegible] minera

[d] [illegible] lib. ſcripſit. [illegible] t quidã putãt.

ferro ad excolēdam terram, et proſcindendam vſus fuiſſet. In ornamentum ergo terræ, imperio Dei, vt ipſe dixerat, productæ ſunt ab ea plantę omnes: quāuis [a] illæ terrę infixæ ſint, ac immobiles, et extrinſecus non aduenianr. tum quia vbi herbæ, et arbores non viſuntur, deſerta, et deſolata loca gentes appellant; et vbi hæc confertim, et ordine poſita conſpiciuntur, locum ornatū vocant: tum etiam, quia falli mirum in modū eſt arbitrari, operæpretium eſſe ornamenta omnia rebus et extrinſecus aduenire, atq. etiam mobilia eſſe. Natura enim animalibus, cum ea gigneret, et formaret; res quaſdam dedit, quæ ad eorū venuſtatem, et decorem tantummodo facerent. Supercilia namq. hominibus dedit; et maribus barbam, atq. [b] papillas: ad venuſtatem, et decus cum primis, vt arbitrandū cenſeo. tametſi papillas [c] maribus tamquam cordis propugnacula fuiſſe datas, poſſetis exiſtimare: licet non poſſit id efficaci ratione euinci. Hæc præterea, et ſimilia omnia non in ornamentū, ſed in neceſſitatem materiæ, tum terræ, tum etiam animalium redigere, reiecta intentione opificis, erroneū maxime eſt. In ornamentum ergo terræ (quod vox communis eſt et rebus natura datis, et arte quoq. comparatis, atq. etiam quæ dimoueri nō poſſunt, et ſimiliter quæ facile amouentur) plantas omnes quotquot genitæ fuerunt, terra eadem ipſa hac die Dei imperio produxit.

ET HABENS VNVMQVODQVE SEMENTEM SECVNDVM SPECIEM SVAM. Ea ratione vt vnaquæq. tum herba, tum arbor, quę uis illa eſſet, haberet in ſemet ipſa ſemen; vel ſuper terram in caudice, ſeu ramis, aut caulibus; vel intra terram in radicibus, ſecundum ſpeciem ſuam. In quo ſemine eſſet virtus gignitiua alterius plantæ ſimilis in ſpecie. Vnaquæque igitur planta

a Quorundā fuit hæc ſententia; vt dicerent, plantas non eſſe in ornatū terræ, eo quod illi intrinſecus adueniunt, & immobiliter infixæ ſunt.

b Ita Lactantius lib. de opificio Dei cap. 10.

c Ita dicit Galen. ſed inefficaciter. Et improbabilius eſt, fuiſſe datas pro nutrienda aliquando prole; vt putāt aliqui: quod viſus ſit ſemel m... tantū lactis ex eis emittere, vt lactare infantem potuerit, teſte Hierony. Cardano lib. 12. de ſubtilitate rerum.

... hoc monſtrum At ... forte ma... fuit, et ... erat. ... ſculofemina.

planta; et vnumquodq. lignum habuit ab initio ſemen, iuxta vniuſcuiuſq. plantæ naturam, et ſpeciem, ſibi intraneũ vel fructui, vel ſtipiti, vel radici, vel rei alicui, cui hæc ſit innata vis, vt conſimilis ſpeciei ſtirpes, et arbores, cum vel ceciderit, vel fuerit in terram emiſſum, gignere poſſit. Sunt enim earum plures proueniendi modi, nimirum ſponte, ſemine, radice, auulſione, ramo, ſurculo, trunco, ac ligno quoq. minutatim conciſo; vel conciſo, et in altera extremitate contuſo, ac ſic terræ infixo.

Cur autem diſcerptæ viuãt, eſt idonea ratio in Ioan. Grammatico, 2. de anim. 34.

ET VIDIT DEVS QVOD ESSET BONVM. Conſummato hoc tam admirabili opere huius diei a ſummo opifice, et conſiderato a ſe, expetendo illud, laudauit, et approbauit; et ſuo inſtituto, videlicet ornamẽto terræ, victui animalium neceſſario, atq. voluptati, et vtilitati maxime illorum, cum primis hominum, maxime conueniens, et accõmodatum cognouit; et vtiliſſimum, bonum, atq. decorum eſſe iudicauit.

FACTVM EST VESPERE, ET MANE DIES TERTIVS. In cuius operis vltima manu, et conſummatione factum eſt veſpere, cum iam præceſſerat mane huius diei, quo Deus ſuum hoc mirabile cœperat opus; et his veſpere et mane, integra primi mobilis reuolutione, ſpatio viginti quatuor horarum conſummatis, inſtar primæ diei, completus fuit hic dies naturalis primum omnium tertius.

DIXIT AVTEM DEVS: FIANT LVMINARIA IN FIRMAMENTO CAELI. Conſummato diei præcedentis opere, quo ſummus opifex mira, et inenarrabili quadam pulchritudine, plantarum omnium e terra productione, terram vndequaq. ornauerat: initio huius diei, quæ omnium quarta fuit prima; ad ornandos cælos celebratiſſima, et nobiliſſima corpora,

lumi-

luminaribus ſplendidiſſimis, et pulcherrimis veſtiendo, opifex accedit:totamq. hanc diem huic operi inſiſtendo conſumit.Sed [a] mirari quiſquam poteſt,illum prius tempore vnius diei terram ornaſſe aquarum compreſſione in locum vnum,atq. herbarum,et fruticum,ac arborum productione; quam hæc cælorum ornamenta,ſolem,lunam, et aſtra, quorũ ſermonem in præſenti adornamus, expoliuiſſe: cum hæc ſint rerum illarũ cauſſæ effectrices, et ſuapte natura antecedant,ac longo interuallo motum aquarũm,et veſtitum illum terræ,et amœnitates: ſicuti et nos quoq. ſenſus docet,præcedere videãtur. Tum etiam cum corpus cæleſte terra nobilius ſit; propterea priori tempore eius ornamenta educenda fuiſſe videntur. Ac deinde ea quæ ad terram, vel ad aquam exornãdam pertinent, producenda. Attamen non alio ordine temporis opifex proceſſit in his,quæ hactenus recẽſita ſunt,et quæ modo vobis recenſere inſtituimus,efficiendis, ab eo quẽ vobis proponimus. Videlicet, vt Deus nudius tertius aquas in Oceanum coegerit,et ex illis veluti eduxerit terram,et pridie hanc ornauerit multiiuga illa herbarum,et plantarum varietate, et deniq. hodie ſtellis cælos ornauerit: ea [b] propter,vt a venuſtationis horum elementorũ ordine intelligerẽt homines (quorum ſaluti vbiq. opifex proſpiciebat) non ſolem, et aſtra; ſed ipſum Deum eſſe primarium auctorem ariditatis,et fertilitatis terræ, et ceterarum omnium rerum, a quibus commoda,et vtilitates capiũt.Etenim permultos fu:uros eſſe intellexit Deus, qui tamquam craſſioris ingenii, nullum inter ſenſum,et intellectum diſcrimen ponerent: quiq. vim imaginatiuã tranſcendere non valentes,dicturi eſſent, ens, et corpus inter ſe conuerti: vel etiam identidem omnino eſſe. Ac præterea,quoniam corpora præcellentiora,et pulchriora

ſole

a Cur ornamenta cælorũ poſt ornamenta terræ opifex eduxerit, optimis rationib. explicatur.

b 1. ratio.

D. Aug. Caiet. et alii tenẽtes vnico momento factũ, ornatũq. eſſe mundũ, coacti alio referre iſtos ſex dies, quos litteræ facies ſplẽdida præ ſe fert, ægre hãc, & alias grauiores difficultates, quæ doctis hominib. afferuntur, ſolent diſſoluere. Vnde Caiet. reſpondet: Licet ſol, luna, & aſtra abſolute antecedãt natura illa omnia ſupra cõmemorata; non tamen ea neceſſario antecedere quãtũ ad officia illorũ, et munera quæ in texture cẽſentur. nam cæli

ſole, luna, et ſtellis nullo vnquam tempore viſuri eſſent; ac propterea honores diuinos, et cultum, qui ſoli debetur Deo, exhibituri illis corporibus eſſent; conſulto ille voluit, vt cęlorum ornamenta ſubſequerentur re ipſa veſtitum terræ, elementorumq. omnium craſſioris, et quadamtenus ignobilioris naturæ: tamquam nimirum contemptui inſignia illa corpora tantiſper habens, ob imperitorum hominum nequiſſimum facinus (idololatriam videlicet) quaſi illis his verbis, vel ſimilibus ferme tunc occurrere voluerit, dicens omnibus hominibus mēte excæcatis in hac re futuris. Non ſunt ſidera, et cæli rerum auctores, et domini; o cæca pectora: ſed ego Deus corū, et omnium opifex: a quo non fuerunt in lucem edita, vt ab hominibus colerentur; ſed vt vobis tamquam expediti [a] miniſtri famularentur. Ac [b] præterea, non latebat ſapiētiſſimum rerum omnium auctorem, allici cum primis mortales beneficiis, atq. ad cultum, et diuinos veluti pertrahi honores (quos Græci ſummatim latriam vocāt) exhibendos; ac nulla re magis quam prodeſſe, et de aliis bene mereri: (quod [c] quidē proprietas Dei quædam eſt) quo factum eſt, vt quotquot prioribus, ac rudibus mundi tranſactis, ac etiam futuris ſæculis inſigne aliquod iuuamentum hominibus contulerunt, et conferent, diuinos honores ſint conſecuti. Cum ergo nullum ſit corpus beneficentius cælo, intelligebat ille profecto, propenſiſſimos, et effuſiſſimos futuros eſſe hac quoq. ratione, inſanos homines in adorandis ſole, et ſideribus. A quo errore vt abduceret, ſeq. vnum oſtenderet, qui [d] fons beneficentię ſit, et cuius iuſſu, ac vi cęli, et aſtra, modo illis præſcripto, terris beneficia largiuntur: iure, ac merito eorum condicionem, ſiue efficiētiam, et ornatum in hanc quartam, quam vobis explanare proponimus, diem; poſt arbores

vt præueniūt officia iſta. ſ. diuidere inter diē, et noctē; eſſe in ſigna, tēpora, & annos; non potuiſſēt in aquis, et terra illa omnia efficere, quæ deſcripta fuerūt ſecūda, et tertia die. Sed melior eſt ratio, et ſolutio a nobis data hoc loco; quæ conformis eſt DD. *Baſil. et Ambroſ. qui ſex iſtos dies conditi orbis veros, & totidem numero, vt littera refert, conſtanter aſſeuerant; & certe doctius.*

a *Vt habetur Deuteronom. 4.*

b *II. ratio.*

c *Ita Cicero 1. de natura deorū, vbi etiam ait, belluas a barbaris propter beneficiū eſſe conſecratas.*

d *Verba ſunt* D. *Ambroſii.*

bores videlicet,et ſtirpes,prudens reiecit. Ac voluit,vt eſſet herba antiquior ſole;humile,ac exiguũ terræ elementum tantiſper præ ceteris præferens,ſicuti infirmis membris aliquando quaſdam ob cauſſas ampliorem honorẽ impendimus. Quamuis [a] præterea terra ea ratione qua mundi centrum eſt,non indigna quoq. potuit hac opificis erga illam largitate,et prærogatiua ante circumferentiam exiſtimari:etſi ab huiuſmodi circumferentia,videlicet a cæleſtibus corporib. iuuamen neceſſarium, et efficientiam terra ipſa, et in ea contenta corpora certiſſime recipiant.Quam efficientiam,atq. iuuamen ſol,ac ſidera reliqua, etſi fulgore, et motu, veluti quibuſdam organis, in iuuandis mortalibus, inq. procreandis, et efficiendis rebus omnibus mixtis producat: motus [b] tamẽ luci longe hoc officio præſtat: quoniam [c] tota cæli vis, et efficacia oritur ab eius motore, atq. adeo,quia ad cælum non aliter emanat, niſi eo modo quo præcipui agentis virtus fluere in organum,ac deriuari ſolet (quod quidem fit cũ id motor actu mouet)ac proinde tamquam infieri. Quapropter et in eo recipitur per modum formæ intentionalis, non vero vt habet eſſe fixum, et permanens: nullum enim inſtrumentum actuoſum,et efficax eſt,niſi quando agens eo actu vtitur,et per conſequens,tantũmodo cum ab agente mouetur. Oportet, ſi quid a cælo efficiendum ſit, vt ipſum cieatur; ac proinde vt eius motus ſit etiam menſura,et ratio,atq. cauſſa (eſt enim primus motuum, ac non modo ratione vniformitatis, et velocitatis,[d] ſed cauſſalitatis etiam)omnium rerum quę naſcuntur,et occidunt. Et etiam cum cælum iudicio poſtremo peracto quieſcet, ſol,et ſidera, licet ſplendidiora quam nunc ſint futura credenda; nil tamen efficient,nec calefacient: nimirum quod a motu cæli,vel ſaltem(ſi qui veſtrum malue-

a III. *ratio.*

b *Ita docet Iulius Syrenius lib. 3. de fato cap. 50.*

c *Nota quã præſtantior ſit motus cælorũ,quam eorũ lux ad efficiendũ.*

I. ratio.

d *Quod vult Scotus 4. diſ. 49. q. 13.*

fuerint) tamquam a cauſſa ſine qua non, eorum lux habeat, vt agitet, et calefaciat. Ob quam etiam rationẽ, nec ipſe [a] ignis, quantumcumq. perfectum calorem habeat, deſinente cæli motu, eſt effecturus alterationem vllam, hoc eſt, res non agitaret, nec calorem in corpora ſibi obiecta, vel propinqua immitteret: aliàs in hoc mundo elementari eſſet aliquis motus abſq. motu cæli: et ſic iſte nõ eſſet omniũ primus, nec cor, et vita mundi. quod falſum exiſtimare debetis. Quare ſi non moueretur cælum, non poſſent ab eo formæ ſubſtantiales effici, nec etiam [b] accidentales. Quamuis enim cælum tunc ſplenderet, non tamen actu calorem gigneret. Nam quod actu calefaciat lux cæleſtis, nõ habet niſi a motu [c] corporis cui ineſt. lucis vero ex ſua natura proprium eſt, illuſtrare dumtaxat. Nam inter cælos (quos plures eſſe inferius dicam) cælum Empyreum, quod ſedes Dei, et beatorum eſt, quamuis fulgentiſſimum ſit, nullum tamen genus hoc beneficii communicat corporibus [d] infernis: quod non niſi quia immotum [e] eſt, ei denegandum eſt. lumen itaq. a motu habet, vt alteratione afficiat obiecta ſibi corpora. A motu inquam, ſimul ac etiam a proprietatibus ſiderum: alias non eſſet cur cælum Empyreum prædictum non alteraret, cum ſit omnium luciduſſimum, et ſupremum corporum, habensq. eius lux ſuapte natura maiorem vim, et perfectionem in ſua ſpecie, quam lux aliorum corporũ. cur ergo non trãſmutabit, nec alterabit corpora, niſi quia motu caret? Neq. hoc in diſtantiam, qua ab infernis præcipue noſtris maxime omnium diſtat, referri poteſt. In hoc enim officit diſtantia, quando ſunt cetera paria: at hic non ſunt, cum lux in cælo Empyreo citra proportionem ferme, et mẽſuram maior ſita ſit quam in aliis corporibus cæleſtibus. Nam ſi exiguus radius, qualis eſt cu-

iuſq.

a Ita S. Tho. 1. 2. q. 105. art. 1.

b Hoc dicitur cõtra Sõcin. 12. Met. q. 13.

c Ita S. Th. 2. diſ. 2. q. 2. art. 3. Durand. diſt. 14. q. 1. ibidem.

d Licet Durand. oppoſitum opinetur 2. diſt. 2. q. 2.

e Cur cælum Empyreũ alioqui fulgentiſſimũ, non influit in hæc inferiora, oſtenditur cum rationibus.

iuſq. ſtellæ lux comparata luci cęli Empyrei, in hæc infer na agit: multo magis profecto ingens illa, et in immēſum ſuperexcedens lux hæc ipſa terrena corpora afficeret, etſi procul, et multo magis diſſita videatur. Tum etiam, Empyreum, etſi a terra tam longe diſtat, non tamē vſq. adeo a primo mobili, et cęlo ſidereo, quibus certe nullum hoc genus beneficii inde prouenit: nil enim prorſus in illis influit, cum nil cum illis commune habeat: cum ad ſtatum gloriæ Empyreum ſit a Deo ordinatum (vt dicam) et reliqua ad communem rerum curſum. Quia igitur immotum eſt, nil in illis influit; vel ſi quid in eis influit,[a] illud non eſt trāſiens, cuiuſmodi ſunt omnes alterationes: ſed fixum, et ſtabile. Ac demum præterea, cum Empyreum corpus nobiliſſimum ſit ſua natura, ita etiam eius virtus valentior, et neruoſior erit: virtus enim vbique formam conſequitur: ſicq. vbi in corporibus conſequenter ſe habentibus forma eſt nobilior, virtus etiam erit efficacior. Ageret igitur Empyreum luce ſua hæc omnia validius, ſi abſq. motu ea agere poſſet: cum autem non agat, illa ſola ſatis non[b] eſt: luci ergo motus in corporibus cæleſtib. ad omnem alterationem, et effectum in inferioribus corporibus efficiendum, maxime præſtat: cum ſine motu illa nil prorſus alterare, vel tranſmutare poſſe, ſatis vobis comprobauimus. Propter præſtantiſſimos igitur quoſdā fines, et effectus, ſummus rerum opifex primo huius diei quartæ naturalis momento, ſimili modo quo aliis dieb. ſuperioribus dixit, ſeu iuſſit, vel iubendo dixit, Fiant duo luminaria magna in firmamento cęli: ſol ſcilicet, et luna, intra maſſam cælorum ſitu diſtincta. Iuſſit, inquam, et fecit hoc inſigne opus, non vel naturæ impetu, vel temere: ſed cum antea rem in ſua mente diuina ab ęterno probe expendiſſet, et conſuluiſſet; hoc eſt, mira quadam prouidentia

a Ita S. Tho. 1. p. q. 66. ar. 3. vt probabilius tenet. contra quem Durand. vbi ſupra 2. diſt. 2. q. 2.

b Ob id egregie Ariſt. lib. problemat. problem. 4. ait ægritudines, et morbos inficere homines illis appropinquātes; non autē id ſanitatē poſſe facere: quia illæ ſunt motiones quædam, & proinde agūt; iſta vero eſt velut quies. atque adeo ſedētaria, et quæ quieſcūt, agere non poſſunt. & ideo S. T. ait, nullū corpus mouere, niſi & ipſum moueatur (videlicet localiter) 1. contra gen. ca. 20. & 1. q. 3. ar. 3.

dentia,atq. adeo ſumma libertate,et indicibili ſua ſapientia deliberaſſet,(hec enim omnia Philoſophorum quoq. doctrina inuoluit) is ipſe ea fecit: vt ſciatis,nullius opera vſum eum fuiſſe,(omnipotentia enim Dei nullius adiutorio indiget) ſed ſe ſolo, id eſt, immediatione virtutis, et ſuppoſiti, condidiſſe iſta,quæ ab eo genita vobis enarramus. Vt ex hoc, quo vobis Deum ea feciſſe intimamus; cum eius omnipotentiam, tum etiam efficientiam, tota hac rerũ geneſi demonſtremus: et cooperatores omnes, atque miniſtros excludamus. Necnon ex eo,quod opificem dixiſſe,vel iuſſiſſe dixerimus; ſemper eius prouidentiam, ac veluti conſultationem, iudicium, et libertatem in efficiendo exponamus. Ex quibus conuenientiam, et diſcrimen inter creationem,et gubernationem colligite. Vtraq. namq. fit Deo iubente, et ſola creatio eo tantum efficiente. Nam in gubernatione,etſi Deus cuncta moderando attingat immediatione virtutis, a fine vſque ad finem fortiter;ac diſponat omnia ſuauiter:corpora tamen moderatur per ſpiritum,et infima per media, et denique hæc per [a] ſuprema.In firmamento ergo cæli fiant (inquit Deus ſuo diuino conſilio) luminaria: id eſt, in corporibus cæleſtibus aſtra ex naturæ proprietate luminoſa deſingamus,in vno quidem corpore cæleſti vnum, in alio aliud,et in aliquo multa (vt dicam modo) inter quę ſemper inferiora ambientur a ſuperioribus. Sunt namq. cæleſtia corpora,ſiue cæli, quæ corpora quædam ſublimia, et actu, vel potentia luminoſa, et incorruptibilia per naturam dicentur ab hominibus, non vnum, vel vnus orbis; ſed plures [b] numero,videlicet vndecim. Atque a ſuperioribus enumerando,primum eſt totaliter ſecundum omnem ſui partem lucidum, quod Empyreum vocabitur,vitale,igneum,atque diuinum,et ſedes beatorum; vbi

Sapi.8.

[a] *De hoc Aug. lib. 83.q.et Gregor.4. dialo. latißime agunt.*

[b] *Contra tenent Orig. 1. lib. Periarch.cap.7.et lib. 5. contra Celſum, Lactan.lib.3.inſtitu.cap.24.Chryſ. homil.6.in Gen.et*

13. ad popul. & in epiſt. ad Hebr. homi. 14. & etiam ad Rom. 4. & alibi dicit vnum eſſe cælum, nec ſphæricũ, nec moueri; cui aſſentitur Procop. Gazæus in Gene. hi ergo omnes habent, vnum tãtum eſſe cælum, et vnã maſſam non ſolidã et duram, ſed mollem, permeabilem, et raram, et vt Baſilius ait, tenuem vt fumũ, per quã ſidera ut pilæ quædam, & ſphærulæ perenniter cõuertuntur ab anima, vel intelligẽtia illis a Deo mancipata.

recipientur intellectuales creaturæ quæ diuiniorem duxerint vitam: quod tamen cum aliis minime numerari proprie debet, cum alii cæleſtes orbes mobiles ſint, et ex vna materia; iſtud vero ſtabile ſit, et ex alia materia. Secundum totaliter diaphanum, quod cryſtallinum vocabitur, ſiue aqueum, compactum ex illis aquis quas nudius tertius ſupernas effecimus, et ſupra omnes cæleſtes orbes collocauimus, et ab infernis terræ aquis, vt iam ſupra iuſſimus, diſtinximus. Tertium quoq. totaliter diaphanum, quod eſt primũ mobile, quod viginti quatuor horarum, vna ſui integra circulatione, ſeu in orbem motione, ab oriente per meridiem, et occidentem, vſque in orientem partem cietur; et per quod primus motor omnia mouet, ac mouebit; omneſq. inferiores orbes ſuo motu ſemel quotidie ſecum trahens, rapiet ab oriente in eandẽ orientem partem. Poſt hoc tertium ſequitur quartum cęlum, partim diaphanum, et maxima ex parte lucidum, ob immenſam numeroſitatem luminarium, ſcilicet aſtrorum lucidorum quę illi a nobis affixa erunt: per quod nos naturæ opifex in numeroſa inſtrumẽta rerum efficiendarum nos diffundemus. Quod cęlum ſtellatum, et firmamentũ eſt, et nominabitur. Subſequũtur deinceps ſeptem alii orbes cęleſtes, quorum vnicuique inditũ erit, et affixum a nobis, veluti nodus in tabula (ſic enim ſunt omnia ſidera in cælo ſtellato implantata a Deo Optim. Maxim.) ſidus vnum, quod Planeta nominabitur: ſicq. ſeptem ſunt a nobis cõfecti inferiores cæli poſt futurum ſtellatũ, id eſt, poſt illum cui ſtellas implantabimus, quos ſeptem Planetas Aſtrologi nominabunt; ſicq. maxima, vel fere tota ex parte diaphani; vna tantum ex parte, nõ magna, per reſpectum ad totum vnumquemq. orbem, lucidi; ea ſane cui incidebit ſidus, et Planeta: quorum nomina

mina,et ordinem, deſcendendo a cælo ſtellato, ita accipient homines,vt nos cõſtituemus:quibus homines non ſine ratione nomina tamquam propria eorum cuiuis aſſignabunt,ita vt primus Planeta ab illis Saturnus dicetur, ſecũdus Iupiter,tertius Mars,quartus Sol,quintus Venus, ſextus Mercurius,ſeptimus Luna. Quibus a orbibus mouendis, ad effectus naturales producendos, inſident ſeptem precipui ſpiritus, aut intelligentiæ, qui ante thronum Dei ſui exiſtentes, fruentur illius præſentia, et in facie illius diuina, id eſt noſtra, tãquam in ſpeculo omnia complẽda ſpeculantes,ad nutum Principis,id eſt noſtrũ, eadem omnia exequentur: et per hos ſeptem miniſtros præcipuos cuncta exequemur naturalia. Qui ſpiritus per cælos ſuos,tamquam per inſtrumenta,veluti coaceruatis omnium ſtellarum,et ſignorũ cæleſtium influentiis,operabuntur in ſubcęleſtia inferiora,concurrẽdo ad metalla, lapides,plantas,et alia producenda:ſed potiſſime ad omnia quæ in homine erũt naturalia. et ad eundem phyſice ſpectabunt,ſiue bona,ſiue mala naturalia videantur.Qui omnes orbes corpora quædam ſunt:afficiunt enim,et alterant inferiora omnia:alterans b enim omne,corpus eſt. Rurſumq. mouẽtur: oritur namq. iam ſol,et occidit, reuertitur,ibiq. gyrat per Meridiem, et flectitur ad Aquilonem.Licet enim nos ſtabilierimus cælos iſtos prudentia, quantum ad eorum conſiſtentiam, et perpetuitatem, non vero quantum ad localem motum. Secus autem de c terra ſentiendum erit omnibus: quam nos ſummus opifex fundauimus ſuper ſtabilitatem ſuam; nec inclinabitur,ſeu mouebitur in ſæculum ſæculi:quod luce clarius vtrumque perſpici poterit. Sol namque videbitur mane ab Oriente ſurgere,et inde cæli faſtigium,quod eſt eius medium,ſenſim conſcendere, meridiemq. efficere;

a Ita ſcribit Georg. Venet. in harmonia mũdi, tomo 3. canti. 1. cap. 6.

b Auerr. de ſubſtantia orbis. Eccleſ. 1. Prouer. 3.

c Hæc contra Pythagoram aiẽtem, ſolem eſſe cẽtrum mundi immobilem, terramq. circa illum perẽniter moueri.

ac deinceps continue labi ad occaſum, et veſperum facere. Rurſum, [a] ſerena nocte videbũtur ſtellæ, quæ iuxta polum Arcticum erunt, gyros vniformes circa illum ducere, et hominibus vbilibet terrarum futuris numquam occidere. Terram autem, viſus ipſe omnium nobiliſſimus animalium ſenſus futurus, oſtendet immotam. Graue namq. proiectum directe ſurſum, eo loco videbitur recidere, vnde fuerat emiſſum: quod plane non eueniet, cum de quouis vehiculo per aquam ventis appulſo proiicietur. ac [b] proinde luminaria cæleſtia, et corpora quib. ſunt affixa, corpora mota ſunt; terra autem immota. Et [c] quãuis corpora cæleſtia motu locali in orbem omnia moueantur perenniter; omnia tamen ſunt ſimplicia corpora, ac generationis, et corruptionis omnino expertia. Eſt enim eorũ naturalis motus et ſimplex, et diuerſus a motu elementorum, et corruptibilium ex eis compoſitorũ. Nec ſolum hoc habent, ſed etiam orbes iſti cæleſtes corpora ſunt dura, [d] et ſolida, et quæ permeari a quouis corpore, vel qualitate corporea minime poſſunt; alioquin tamen rara mirum in modum, et perſpicua: quibus quidem ſidera, quæ luminaria cælorum eſſe dicuntur, affixa, vt diximus, hodie a nobis ſunt. Si nãq. aſtra perinde per cælum mouerentur, atq. moueri aues in aere ſolent, aut etiam pilæ, ſeu ſphærulæ; cælum diuiſibile eſſet, et corruptibile: ratione autem naturali, vt conſtat, cælum eſſe corpus ſuapte natura ſimplex, et incorruptibile, tam ſecundum totum, quam etiam ſecundum partes: iam igitur manifeſtum erit, vt neque diuidi, neque permeari poſſit: et conſequenter vt luminaria ſuis orbibus ſint affixa, eorum quoq. eſſe partes, erit rationi maxime conſentaneum. Cum item corpora cæleſtia, ac fulgentia ſidera illis affixa, locali motu cieantur; materia reuera conſtant, quæ

a *Ptolem. in almageſt. diſt. 1. & auctor ſphær. cap. 1.*

b *Hanc rẽ copioſiſſime probat Ariſto. 2. cæli, a text. 96. vſq. ad 103. & Ptolem. vbi ſupra cap. 3.*

c *Ita S. Tho. 1. p. q. 66. Diony. de diuin. nominib. cap. 4 et ſcholaſtici ferme 2. diſt. 14.*

d *Contra Orige. Chryſoſt. Baſiliũ, Lactantiũ, Procopiũ Gazæũ vt ſupra, ac etiam Ambroſ. lib. 1. cap. 4. Greg. Nyſſæ. Ioã. Damaſc. lib. 2. c. 6. Dionyſ. Cartuſ. 2. d. 14. Oleaſt. in Geneſim, et Ambroſ. Cather. in Geneſ. omnes iſti tenent, cælos eſſe corruptibiles.*

quæ altera eorum naturæ,et eſſentiæ pars eſt:et cum ſenſilia etiam ſint, materia illa erit propriſſime materia, cõpoſiti quidem naturalis pars. Actus enim ſolus ſenſibile quidpiam non eſt,ſed intelligibile. Quod etiam manifeſtum fit, ex eo quod luminaria cæli modo producta,alicubi ſint rara, alicubi denſa, vt in maculis lunæ, minoris ſcilicet luminaris,comprobatur. Rurſus quædam videntur maioris molis,quędam minoris.Motus autem corporeus vti localis eſt,et ſenſibilitas, raritas, et denſitas; affectiones materiæ proculdubio ſunt.Verum eſt tamen,cęleſtium horum orbium, luminariumq. materiam hanc diuerſæ eſſe rationis a materia corporum infernorum, ſcilicet terreſtrium;differreq. iſtas duas materias inter ſe, et ſeipſis, atque natura : eo quod diuerſo modo formæ cæleſtes actuent,et perficiant ſuam materiam,atque formæ infernæ faciant: complent enim illæ totam aptitudinem,et potẽtiam ſuarum materiarum,nec ad alias formas inclinationem habent: ſecus autem formæ infernæ. Et ob eandem rationem, materiam vniuſcuiuſque orbis cęleſtis eſſe diuerſæ rationis a materia alterius cuiuſq. orbis cæleſtis, exiſtimare homines poterunt; quod ſatietur omnino,et complete ſua forma,nec ad aliam inclinatur. Nec prætereundum omnibus hæc contemplaturis cenſemus,motus omnes,quibus vniuerſi orbes cęleſtes mouentur,eſſe perfectiſſimos,locales videlicet,et in orbem; ad quos corpora cæleſtia, ſecundum rationem ſuæ formæ, et materiæ, inclinationem habent naturalem. Qui etiam conueniunt maxime figuræ,quam a nobis opifice illa corpora ſortita ſunt:etenim ſphericæ ſunt figurę omnes cæli, non [a] turbinati, non forma oui, non rectilinei, non triangulares, aut angulares, nec alterius figuræ ſunt quam [b] rotundæ; cuius formæ,ac figuræ totum mundũ

a Vt quidã putarunt,teſte Plutar. 2.de placitis Philoſoph.cap.2.

b Ita Plinius lib. 2.cap.2. Ariſt.2. cæli cap. 4. Alcinous lib.de doctrina Plato.cap.10.

 eſſe

eſſe neceſſe eſt: vnde et orbis dicetur: et circulares ſunt eius motus. Mouentur itaq. omnes orbes cæleſtes cum ſuis luminarib. circulari motu;qui illis eſt naturalis.Cum enim cælorum motus ſit reliquorum omnium regula,et cauſſa,non eſſet rationi conſonum,vt ille eſſet violentus, vel præter naturam: cumq. etiam ſuapte natura ſit perpetuus,hoc ſenſu,quia circularis motus non habet in ſe vnde finem accipiat,non enim in præfinitum terminũ pergit; erit prorſus naturalis, tum ex parte materiæ, quæ ad illum inclinatur; tum etiam ex parte formæ, et figuræ, cui maxime naturaliter conuenit:nullum autem violentum perpetuum eſt. Ad quem motum corpora cæleſtia impetuntur, ſiue mouentur a motoribus ſuis, ſiue ea intrinſecus informantib. et mouentibus efficienter,et præcipue; ſiue extrinſece illis coniunctis, et applicatis,vt ſua virtute,illa motu in orbem perẽniter cieant: qui quidem motores cum intellectu præditi ſint, intelligentiæ vocari poterunt tamquam propria nomenclatura. Et ab huiuſmodi intelligentia, quam ſibi vnuſquiſque cæleſtis orbis vnam vendicat,tamquam motorem;eſt,et procedit motus cęleſtis cuiuſuis orbis,tamquam a pręſenti cauſſa mouente,et efficiente.quod inde poterunt ſpeculantes colligere, quod orbium cæleſtium motus maximam habet velocitatem, maximam (inquam) omnium poſſibilium quæ in rerum natura conſtituta ſunt; maximam itẽ vniformitatem, atq. etiam perpetuitatem: quæ omnia non contingerent cælo,niſi ab agente per intellectum. Præcipue motus inanimatorum, et intellectu carentium, vel motus animales rerum ſentientium perpetui eſſe non poterunt:cum enim deſtinari oportebit vel a generante,vel a propria inclinatione ad certum locum, vel terminum certum formæ; finiti,et determinati eſſe debebunt. Cor-

pora

pora autem cæleſtia non tendunt ad certum, et determinatum locum,ſicq. mouentur ab intelligentiis prędictis; quæ etſi liberæ ſint,tamē ex pręcepto Dei ſui concurrunt ad illum motum,in modum cauſſarum naturalium : ita vt ſtante hac tali diſpoſitione vniuerſi, non poſſunt non mouere cælos ſuos. Et motus illi dicuntur naturales, ita vt non ſint violenti: qua ratione in hominibus,cum erūt in rerum natura producti,motus humani corporis ex imperio voluntatis eorum,naturalis profecto erit.Et quamuis ipſa ſubſtantia cæli non concurreret actiue per ſuam formam, (vt reuera concurrit) ſatis eſſet, vt motus eſſet naturalis,quod eſſet apta,vti eſt,ad talem motum.Vniuntur ergo prædicti cælorum motores (quos intelligentias cælorum motrices licebit deinceps omnibus nominare) ſuis orbibus non intrinſece, ſicut anima corpori animalium,et hominum vnietur,ita vt cæli ſint [a] animati; non hoc (inquam) ita eſt, ſed extrinſece,vt motor vniri debebit mobili. ſi enim cælum eſſet animatum , anima illius eſſet tota in toto,et tota in qualibet parte;vt ſapientes recte ſentient de animabus perfectorum animalium:intelligi autem vix ab eis poterit, quomodo anima finitæ virtutis immēſum iſtud corpus poſſit viuificare:nec cuiquā parem aliquis referre poterit rationem de intelligentia cælo vnita modo quo dixi,cum non ſit æqualis ratio; cū ad cauſſandum illum motum ſufficiat eam aſſiſtere illi parti,quæ velociſſime mouetur, vni videlicet parti æquinoctiali. Ac rurſus, quia omnis forma materiæ vnita habet aliquam operationem ſibi propriam,ad quam materia eſt illi neceſſaria : forma etenim vnitur materiæ propter ſuum bonum, id eſt, propter propriam operationē: vt conſtabit in omnibus rebus,tam viuentibus,et animatis, quam in aliis. Si autem intelligentia vniretur cælo vt

[a] *Cælos eſſe animatos, tenent Caiet in Pſal. 103. qui ipſi eſt 104. Hierony. in 1. cap. Eccleſiaſ. et in epiſt. ad Auitū, Orig. lib. 1. Periarchō, cap. 1. et tomo 1. cōment. in Ioan. & Philo de opificio 6. dier. & lib. de ſomniis, & S. Th. 2. contra gen. cap. 70. cōtra Auerro. id tenet multis argumētis, licet 1. p. q. 70. oppoſitum doceat; et Auguſt. de hac re ſemper eſt dubius, videlicet in Enchirid. cap. 18. & 58. et 2. ſuper Geneſ. ad litter. cap. vlt.*

forma, non poſſet habere aliquam operationem, ad quã materia eſſet illi neceſſaria; cum cælum ſit prorſus incorruptibile, et vniforme, organiſq. ſentiendi carens: et ita non poſſet habere operationem vegetatiuam, nec ſenſitiuam, nec etiam intellectiuam, ad quam corpus nõ concurrere poterit, niſi ratione antecedentis operationis ſenſitiuę, vt patebit in hominibus. Non ergo intelligẽtia vnitur cælo, vt anima corpori, ſed vt [a] motor mobili, applicando ſuam virtutem, vt cælum moueat motu locali, ad quem motum huiuſmodi aſſiſtentia extrinſeca per contactum virtualem ſufficientiſſima [b] eſt. Orbes itaq. hos cæleſtes corporeos, motu locali mobiles, compoſitos ex materia, et forma; alteriusq. naturæ ab elementis, et elementatis; ortus, et interitus expertes; ſphæricæ figuræ, ad motum proprium eorum in orbem aptiſſimæ; anima carentes, intelligentia motrice, tamquam ſibi affine, preſtantes; quos initio temporis primo ſimul cum terra, et elementis creauimus, quarta hac die ſplendidiſſimis luminaribus illis affixis, aſtriſq. fulgentiſſimis, (quæ ſtellas etiã vocabunt homines) multoq. perfectioribus cunctis gemmis radiantib. nos idem ipſe perornamus. Non ita, vt homines ſciant factum hoc eſſe ea ratione, et ordine, vt maius luminare, ſolem ſcilicet, et minus, videlicet lunam, die prima creauerimus; et ſubinde ſecunda, et tertia, et quarta, hoc eſt hodie, ita ſeminauerimus aſtra reliqua, vt hac quarta die, in qua ſumus, omnium ſtellarum productionem compleuerimus, et abſoluerimus, minime ita ſentiendum cuipiam erit. Etenim eſſet hoc inuertere (ſi ſic proſecuti fuiſſemus geneſim hanc rerum) vniuerſam huius productionis ſeriem, ac interturbare: quaſi ornatũ cęli prima die inchoauerimus, et tantiſper illum dimiſerimus; eo quod exiſtimauerimus cæli luminaria minus explo-

a Ita tenẽt Baſil. homil. 3. S. T. 1. p. vbi ſupra. Ricardus 2. d. 14. Magiſter 2. ſentent. & etiam S. T. 1. cæli, tex. 70. & Ferrarien. 2. cõtra gẽt. cap. 70.

b Vt recte docet Ariſt. 1. de generat. tex. 44.

Recapitulatio dictorum.

Contra Steuchum, et quoſdam iuniores.

exploratas res hominibus futuras eſſe, atque compertas, quam creaturæ infernæ; quarum formationem,diſpoſitionem,et progreſſum ſtatim ſecunda, et tertia die operati ſumus,videlicet digeſtionem aquarum,exſiccationẽ terræ,atq. plantarum formationem;et nunc deniq. in cælum reuerſi,ad omnia eius ornamenta efficienda nos accingamus: quia hæc non niſi quarta die,non autẽ antea, a nobis opifice completa fuerint. Non ita ſentire debebunt homines,nec res ita geſta nunc eſt. Atq. iſto modo etiam geneſim hanc rerum aliquem eis enarratione proponere,imprudentiæ erit; vtpote quod ea antea incipiat proponere,quæ poſtea meliori vſus conſilio, ſupprimenda tãtiſper adiudicet: vt alia quæ ad aquas,et terram pertinent,prius,ac magis opportune exponere intẽdat.Tum etiam,cæli ornamenta, id eſt luminaria, non ſunt res minus notæ futuræ hominibus, quam ſint res infernæ: immo notiſſima illa erunt hominibus,et oculis eorum omnium expoſita,et quæ alias quoq. res peruias illis facient. Etſi enim eorum natura,et conſtitutio occulta [a] ſit eis futura; verum exiſtentiam,beneficia,et vtilitates nemo erit hominum qui non percipiat,nonq. fateatur: vt proinde dici poſſit, nil eſſe lumine clarius, nilq. obſcurius; ex eo quod et ipſum lumen, et cetera conſpiciantur, et nihilominus quid ipſum ſit,diutius eorum ſapientibus incompertum quidẽ erit. a nullo enim allata erit definitio, quæ eius naturam, et vim (vt poterunt ipſi ratione conſequi) exacte,et ad eruditorum hominum quietẽ aperiat. Rurſus, ſi anterioribus dieb. aſtra nos in cælis ſeminaſſemus, mirum hominib. iure optimo videri debuiſſet,nos factũ hoc præteriiſſe, nec eis numine interno,vti alia,indicaſſe: nec enim eis ſic accurate rẽ ipſam,et cũcta opera quę trib. anteactis dieb.prodierũt a nob.in lucẽ,eis expoſuiſſemus.

[a] Ob iſtam rationem Moſes mẽtionem de natura, & cõſtitutione aſtrorum non fecit.

Præterea, ſi ſic ſe res habuiſſet, cum ſex diſtinctis, continuis tamen dieb. vt in ſequentibus patebit, totam rerum omnium creationem, diſtinctionē, et ornatum fuerimus operati; non poſſet hominibus aſſignari, quid illud fuit quod hac die nos effecerimus (feriati profecto non ſumus, etenim intra vnam hebdomadam geminum ſabbatum habuiſſemus) ſolem, et lunam prima die iuxta modum prædictum (ſi verus eſſet) effecimus, et aliis diebus continuo ſidera ſeminauimus, et die hac quarta ſeminationem abſoluimus: nil igitur determinatum, et certum proferre quiſpiam illis poſſet, quod hac die nos opifex effecerimus. Nam qua ratione vnū aliquod aſtrum quis dabit eis, alius aliud poſſet ſimiliter dare, atque adeo cur non omnia? non ergo eo modo producta ſunt a nobis cæli luminaria. Ad hæc hominib. in huius eiuſdem confirmationem pro comperto hoc erit habendum, nos in conficiendis ſingulis quibuſq. operibus, non totos contriuiſſe, integroſq. dies; ſed cum ſingulum quodq. in momento prodire fecerimus, voluiſſe tamē integram diem ab eo opere cognominari. Nec enim, creaturæ rationalis more, eorum ſingulum in tempore nunc agemus: ergo etiam ſtellas omnes in inſtanti ſeminauimus. Quare ſatis erit, ſi quartam hanc diem dūtaxat, ab hoc opere cognominari voluerimus; et proinde commentum [a] arbitrariū eſſet, aliquā creaturam ſubhinc exiſtimare, totis aliis anterioribus dieb. opificem Deum ſidera reliqua, præter luminare maius, ſcilicet ſolem; et luminare minus, ſcilicet lunam, ſeminaſſe in cælis; et hac quarta die feriatū fuiſſe, illamq. totam nos expendiſſe, et contriuiſſe, et detinuiſſe in oſtendendis [b] luminaribus a nobis iam productis. quę maxime abſurda eſſent: tum quia oſtenſio iſta tantillum opus eſt, vt tota vna dies in ea conſumatur: tum etiam, quia

[a] *Sicut commentatur Augu. Steuch. & alii eius ſequaces.*

[b] *Ita tenent antiqui Rabbini, teſte Rabbi Moſe lib. 2. cap. 31.*

quia cum homo, vel Adamus adhuc creatus non ſit, intelligere ſatis homines iam producti (in quorum gratiam totum hunc orbem conſtituimus antea, et modo perornamus) non poterunt, quibus nos oſtenderimus luminaria, an ſcilicet, creatis ab initio Angelis, vel cælis, vel elementis. Deinde, ſi prima die ſol, et luna lucem dederunt juxta modum prædictum (illis enim diuiſimus nos lucẽ a tenebris, et effecimus dies, ac noctes) ſciſcitari homo poterit, quomodo lux non fuerit terris oſtenſa ante quar tam hanc diem? Proinde in abditiſſima hac perſcrutatione accipere homines oportebit, qua ratione, quo modo luminaria cæli omnia a nobis opifice condita ſint, quando etiam producta, ac in lucem prodierunt, hac videlicet ratione, et hoc modo vti factum modo eſt. Certum namq. eſt, ſolem prima die creatum fuiſſe, ipſumq. ſolũ; non tamen fuiſſe numeris omnibus abſolutum tunc, et perfectum, vti nunc eſt. Sed hodie dumtaxat, non quidẽ vt illuſtrior, ſplendidiorq. in ſeipſo redditus hodie fuerit, ſicut fieri potuiſſe aliquis hominum poterit [a] exiſtimare: ſed primum quidem, quod hodie acceperit a nobis ſpeciales quaſdam vires, et facultates, quas in ſua creatione non [b] acceperat: ſicq. poterit dici, hoc quoq. die cælos fuiſſe ab opifice extenſos, et expanſos, virtutibus nimirũ, ac donis. Et quamuis prima die viderimus lucem ſolis a nobis productam fuiſſe bonam, non hoc repugnat his quæ modo dicuntur: quia ibi bonum non acceptum eſt pro perfecto, et cunctis numeris abſoluto; ſed pro eo quod et bonum ſecundum ſpeciem erat, et illius diei propoſito maxime [c] conueniens: et ad vlteriorem perfectionem ſecundum virtutem ordinabatur: non enim erit inconueniens hominibus exiſtimare, nos quędam feciſſe initio imperfecta, vti fecimus, quæ poſtmodum ipſi perfece-

Vera aſſertio productionis luminarium cæli.

[a] *Ita exiſtimauit Aegidius 2. diſ. 14.*

[b] *Ita aiunt* Dionyſ. *de diuin. nom. cap. 4. et S. T. 1. p. q. 67.*

Hæc in explicatione operis primæ diei prudẽter ſunt animaduerſa.

[c] *Ita docet Auguſtin. hoc loco.*

fecerimus. Et ad hæc,bonum etiam ſignificat vtile,iucũdum,et delectabile: cuiuſmodi erat tunc quoq. ſol,licet non vſq. adeo ſicut nunc.Præterea,non niſi hodie eſt effectum luminare maius: etenim maius relatiuum eſt ad minus,vel etiam ad minora,ſcilicet ad lunam,et ad aſtra, quæ minora luminaria ſunt,quę hodie dumtaxat prodierunt. Et proinde ſol, qui antea luminare ſimpliciter erat, non eſt effectus maius niſi hodie, ratione qua diximus. Aduenit enim noua relatio termino,cum eius correlatiuum (ſiue maluerint homines reciprocum)ponitur,atq. id quidem abſq. ſui mutatione,vt vera Philoſophia [a] cõcedit.Hodie ergo aſtra omnia iam prodierunt in lucem, cum antea ſolus creatus fuiſſet ſol, qui præterea rutilantior ceteris hodie effulſit: diſcuſſis nimirum craſſioribus vaporibus,ac veluti repurgatis intermediis elemẽtis,quæ ſuperiorib. dieb. minime repurgata extiterũt;luxq. ipſius hodie [b] diſtributa eſt lunæ,ac ceteris aſtris: tres enim etiã priores,ac præteritæ mundi noctes obſcuriſſimæ [c] fuere; ſiquidem nec lunæ,nec ſiderum fulgoribus illuſtrabãtur, quod nimirum hæc nata nondum erant.Exiſtimandum autem erit hominib. aſtra dicta hodie fuiſſe a nobis effecta,non ea tantum ratione,quod ſoli,a quo illuminarentur,fuerũt obiecta,atq. adeo luce perfuſa,vel ſimpliciter, ſi totam quam habent lucem,a ſole [d] recipiant; vel ampliore,viuacioreq. ſi ipſa quoque lucida ſua natura ſunt, (quod eruditiſſimis quibuſdam hominibus placebit:hęc enim, et ſimilia quomodo ſe habeant, hominum diſputationi,cum fuerint creati,relinquenda eſſe volumus: vt ſe exerceant in conſideratione,et contemplatione operũ manuum noſtrarum: atq. ita cum certo ſibi, quomodo hæc,et ſimilia ſe habeant,ac alia ſe habuerint in hoc rerũ initio,non compererint; laudent,et adorẽt opificis ſummi, id

a *Ita docet Ariſt. 3.Phyſi.*

b *Ita docet Theodoret.*

c *Ita ait Magiſt. 2.ſent.diſt.14.*

d *Vt communis fert opinio.*

mi,id eſt,noſtram omnimaieſtatem,et omniſapientiam) ſed multo magis, quod eorum materiam nos opifex hodie ferruminauerimus, et condenſauerimus, vt recipere, et repercutere ſolis radios poſſet. Quam materiā etſi vna cum cælis creauerimus,non tamen aptauimus,et idoneā fecimus ad fulgorem ſolis regerendum: id vero præſtitimus hodie, ſicq. produximus luminaria omnia, præter ſolem,hodie in firmamento cæli,in orbibus cæleſtib. At ne improbabilia ſecundum Philoſophiam hominib. iſta videantur,iſta primum perpendent:geminam eſſe potentiam in creaturis; naturalem ſcilicet,et obedientiæ. prior ſecernitur in actiuam, et paſſiuam; quarum vtraq. reſpicit ea quæ ſui ordinis ſunt, hoc eſt, quæ natura agunt,vel patiuntur in ſuo ordine. at vero illa quæ obedientiæ eſt, ineſt rebus in ordine ad Creatorē, et ad actus qui ſupernaturales dicentur. Et vt naturalis potentia qualitas quædam,et accidens eſt; ita hæc obediētalis (vt ita dicamus) eſt ipſa rerum natura,et eſſentia,relata tamen ad imperiū, et voluntatem Dei opificis,ſiue noſtram;cum negatione repugnātiæ,et reluctantiæ; vt circa illam faciat quidquid voluerit Deus. Quare fit,vt nulla Dei, id eſt, noſtra operatio, vim inferat creaturæ,aut poſſit violenta nuncupari. Pernoſcent deinde, Deum noluiſſe vnico momento venuſtare mundum, quem vno momento creauerat: ſed ſenſim, atque gradatim, et (vt dicere ſolebunt homines, more ſuo) ruminando negotium: vt quemadmodum creando, inexhauſtam, ac omnipotentem vim noſtram iam oſtendimus; ita matura iſta, et ſucceſſiua, et nunc vnius, et nunc alterius mundi partis veluti (vt videri eis poterit)inordinata venuſtatione(ſiquidem primo die cęlum;ſecundo aquam,aerem,et cælos; tertio terram,quarto ruſum cęlos,quinto ruſus aquam,et aerem;ſexto denuo

nuo terram ornauimus) voluimus libertatem noſtram cunctis hominibus patēter exponere,id eſt,declarare,me non naturæ neceſſitate, et [a] impetu,ſed quadam ſumma libertate,impertiēdæq. bonitatis meæ cauſſa,cuncta effeciſſe. Ergo habenda eis vbiq. ratio non erit ſolius noſtræ omnipotentiæ,et virtutis;ſed præterea libertatis,ſapiētiæ, et attributorum aliorum.Quæ omnia vt nos hac omniū rerum geneſi explicaremus, et ſex dierum interuallo (vt iam nunc proſequimur) et hoc ordine (quem ſeruamus etiam num) vſi ſumus, vt ex iis, productis iam hominib. doctus,et pius eorum animus, in Dei ſui verbo,quod eis in monumentum ſempiternum tradetur, in hac rerum creatarum a nobis prima emanatione,primum quieſcat; et mox a calumniis illud vēdicare facile poſſit, et ſartam et tectam litteram noſtri huius mundi opificii, narrationem,et hiſtoriam valeat conſeruare.

a Vt Ariſt.et multi Philoſophi arbitrantur.

ET DIVIDANT DIEM AC NOCTEM.

At vero luminaria iſta producta a nobis ratione iam dicta in firmamento cæli,non in vanum,et inaniter produximus,et fieri mandauimus,hoc quarto die:ſed in pręclara officia, ad præſtantiſſimos, et creaturis infernis perutiles fines,et neceſſarios deſtinauimus.Quæ officia iā nunc aggredimur exponere , tamquam homini poſtmodum tradenda; non omnia quidem,nam luminarium cæli officia omnia nec numerari, nec cognoſci certo ab hominibus poterunt: ſed ea dūtaxat nunc aperiemus,quæ nos opifex Deus hominibus recenſere , illisq. patefieri verbo noſtro deinceps volumus,et eorum aliquibus ceteris explicanda mandabimus;quibus et noſtram erga homines eximiam caritatē ſplendide declaramus.Volumus enim, vt corpora iſta quæ natura omnium preſtantiſſima ſunt, ſimiliter ſint hominib. futura præ omnibus vtilia.Et hæc omni-

omnino eſt, ac erit generalis noſtra volũtas, et ſemper eſt; vt quibus dignitatis, et præſtantiæ plurimũ dedimus, ſint etiam aliis vtiliſſima, et beneficentiſſima. Quamobrem conſtanter negandum hominib. tamquam minus verũ, præclara iſta corpora ad inhoneſta, ac turpia ſuis vel motibus, vel afflatib. vllo vmquam tempore homines excitatura. Quod ſi quis eorum varios cælorum influxus in naturam omnem infernam, et cum primis humanam, attenta meditatione contẽplatus, contenderit, (vt eorum ſapientibus aliquibus videbitur) eos naturam eorum humanam excitare, ac eorum ſuis afflatib. agitatam, aliquãdo ad turpia propenſiorem reddi; non erit profecto dubitãdum, hoc ipſorum hominum contingere beneficio, in quibus ratio ſolutã, et voluntas libera perpetuo manebit: et quos etiam præclara inſtitutione, ac bonis habitib. eludere nõ modo poterunt, ſed comparare ſibi præterea magnas virtutis acceſſiones, coronas, atque triumphos. Nam et eorum virtus in infirmitate perficietur, et etiam vnuſquiſq. propriam mercedem accipiet ſecundum ſuũ laborem, me cum primis eos perpetuo adiuuãte, niſi per eos ſteterit. Paratus ſiquidẽ ſemper ero, non modo meæ dono gratiæ magnas eis ſuppetias ferre, ſed ego ipſe cum eis etiam illos comprimere; et ſuæ ipſorum carnis vitia, tamquam monſtra quædam, glorioſe ſternere: non ipſi ſolum, ſed gratia noſtra cum eis. Nec ſolum id fideles homines poterunt hoc diuino, et ſupernaturali auxilio freti; verum etiam et illi qui ſolo erunt lumine rationis præditi,[a] per libertatẽ arbitrii, etſi alias natura mulieroſi fuerint, et ad magis turpia propenſi; optima tamen virtute, ac doctrina, ſiderum afflatus, et naturæ aut ſtimulos, aut impetus remouere poterunt, et comprimere: vt ſua ætate, ſuæq. gentis nulli magis caſti, magiſq. ſceleris puri habiti

a Vt Socrates, & Stilpo.

biti

biti ſint futuri. Nec viros ſolum huius ingenii, et ſtudio-ſitatis fore poſſe, exiſtimandum hominib. verum etiam a feminas, quarum natura imbecillior erit ad quodcũq. virtutis opus quod carnis paſſionib. contrariabitur, perpetrandum. Sed hæc tritiſſima, et obuia cuiuis creaturæ ratione præditæ erunt; et manifeſtum eſt in cauſſa fore, vt homines, alioquin ratione præſtantes, turpia, et vitioſa inſectaturos eſſe, eorum ipſorum ignauiam, voluptatem, virtutis contemptum, nullam, aut certe frigidiſsimam religionem, nullam ſinceram noſtri diuini numinis implorationem, et id genus alia: vt certiſsimum eis dici poterit ipſorum perditionem prouenire ex ſemetipſis. Nil ergo mali ex pręclariſsimis iſtis corporibus cæleſtibus hodie a me productis, nec ex eorum fulgentiſsimis, luminoſisq. ſiderib. hominibus proueniet, quin potius innumera beneficia eis exhibebunt: creauimus namq. nos Dominus Deus totius vniuerſi cęlos, ſolem, et lunam, et omnia hęc aſtra cæli, in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cælo ſunt futuræ; et vt gloriæ noſtræ tamquam præcones, et tubæ exiſtãt. In quam gratiam omnium maxime ea ego ipſe opifex b effeci: attamen vtilitates tantũmodo futuris tẽporib. ac in pręſenti illas vt proferãtur a nobis, recenſemus, quas hominibus allatura ſunt: vt intelligãt, qui deos eſſe ſidera exiſtimabunt (quorum totus fermе orbis aliquando plenus erit) non modo ſe impios eſſe, qui opus opifici aut æquant, aut etiam pręferunt; ſed etiam ſuæ eorum dignitatis, ac decoris prorſus immemores, et oblitos: qui cum cælis meliores reuera ſint futuri, tantum tamen honoris illis tribuent, vt ſupplices, tamquam ſua numina, illa adorent; et hanc ſane cauſſam eſſe arbitrari eos oportebit, cur tanta luce, ac diligẽtia, tamq. aperte etiam, eis cauſſam nunc expoſuerimus, quare nos effecerimus iſta

a *Tales fuerũt Alceſtis Penelopes, vt ait Ariſt. 2. œconomicor.*

Deuter. 4. b.

b *Prouer. 42. & 43. vide obſecro.*

iſta ſublimia, et celebratiſſima corpora, tot fulgẽtiſſimis ſideribus diſſeminata, et cur huc totus ego opifex incumbo. Diximus igitur iam hodie, et præcepimus hac quarta die, vt fierent, ac eſſent luminaria in expãſione, vel extenſione cælorum: hac enim die materia cæli fuit ita a me opifice in diuerſis cęlorum partibus coaptata, et ferruminata; vt ſolis luci obiecta, protinus ipſa fuerit diffuſa in partes illas multas, et varias, et inde aſtra repente prodierint, ac proinde cæli extenſi, expanſi, et diffuſi luce nimirum, et virtute cõfeſtim fuerint. Fuerunt ergo hodie iam luminaria in extenſione, et expanſione cælorum, nempe quod extenſa, et aucta illis lux, et virtus hodie fuerit. Et primum quidem luminaria iſta a nobis producta ſunt ex cælorum materia, vt diuidant diem, ac noctem, diſtinguendo illum ab iſta. Lux antea vna erat, et proinde ſol ſua cõuerſione tres priores dies a noctib. iuxta acceſſum ad hemiſphæria ſolus ſeiunxerat; nunc luce in plura corpora diffuſa, vel ſimpliciter quidem, ſi cæca hæc antea, ac tenebroſa [a] fuerunt, (quod probabilius profecto hominibus non immerito videri poterit) vel ſi perfuſa aliqua luce natura ſua fuerunt, (aſtris namq. tenuem quandam, et exiguam lucem ineſſe natura ſua, aliqui poterunt [b] exiſtimare: hæc enim, et ſimilia indeciſa futuris hominibus veſtiganda relinquimus) tanta tamen nunc eis impertita a nobis fuit, vt emicare quoq. et ſplẽdere in inferna corpora poſſint. vnde effectum eſt, vt plura quoq. deinceps futura ſint, quæ diem a nocte ſeiungant. Nec [c] enim ſolis occaſus tantum, (quamuis hic præcipuus ſit) ſed ſidera etiam quando orientur, noctem efficient. Sed et exploratum iam hinc ſapientibus erit hominibus, non modo minoris luminaris lumine, ſcilicet lunæ, maiori, vel minori; ſed ortu quoque, et occaſu horum, vel illorum

a *Ita docet* D. Diony. *Areop.*

b *Vt* D. *Ambr. et* D. *Baſil. tenẽt, qui forte non legerant Dionyſium.*

c *Vt* D. *Ambroſ. optime annotauit.*

ſiderum dies, noctes, et annos fieri calidiores, et frigidiores: vt propterea recte deinceps ab hominibus dici poſſit, ſolem [a] generali, et communi diſtinctione; ſidera vero ſpecialibus quibuſdam rationibus dies a noctibus diſterminare. Et eiuſmodi dierum, ac noctium ſecretio, et viciſſitudo illud hominibus beneficium exhibebit, vt cōmodum, opportunumq; tempus operandi habeant, et quieſcendi. Orto enim ſole exibit homo ad opus ſuum, et ad operationem ſuam vſq. ad veſperam. Vt diuidant ergo diem a nocte, luminaria cælorum effecta ſunt.

a Verba ſunt S. Thom. 1. p. q. 70.

Pſal. 103.

ET SINT IN SIGNA, Ac etiam præterea, vt ſint in ſigna, quod eorum officium ſecundum erit. Cum autem, habita ad homines ratione, ſignum aliud erit rememoratiuum, quod videlicet rem præteritam in recordationem, et memoriam adducet; aliud vero demonſtratiuum, quod rem quę actu eſt, ante oculos ſiſtet; aliud autem prognoſticum, quod rem aliquam futuram [b] ſignificabit; id generali definitione, et exacta, atq. omnibus ſignis et ſenſibilibus; et intellectualibus, et naturalibus, et inſtitutis hominum arbitrio (quæ ſigna data ab eis nominabuntur) conueniente: ſignum erit, quod homines in alterius rei notitiam adducet. Hac igitur ratione luminaria cælorum ſigna ſunt, ac erunt omnipotentiæ Dei ſui, quæ ex nihilo ea effecit: et demonſtratiua eius bonitatis, ac ſapientiæ, et philantropiæ; et (quod non minoris omnibus creaturis rationalibus faciendum erit) ſigna etiam prognoſtica proculdubio ſunt futura earum rerum, quarum etiam erunt efficiētia, nimirum imbrium, ventorum, ſerenitatis, tempeſtatum aeris; et earum præterea rerum, quæ ex iis ferme euenient; caritatis videlicet annonæ, et abundantiæ; et ad hæc qualitatum veris, æſtatis, autumni, hiemis, et id genus. Etenim

b Diſtinctio eſt Galeni in arte parua, qua vtūtur Theologi 4. d. 1. et S. T. 3. q. 60. Quid autē in cōmuni ſignum ſit, ex Aug. vid. de doctri. Chriſt. lib. 2. et Magiſt. 4 d. 1. tamen Aug. definitio ſoli ſigno ſenſibili conuenit: vnde generalior et ſplendidior eſt, et omnib. conueniens ſignis, quam S. T. tradit 4 diſt. 1. q. 1. ar. 1. vt hoc loco dicimus.

periti homines ex aſpectibus, coniunctionibus, et affectionib. ſiderum hæc omnia antea ceteris enuntiabunt: vt ſeſe nautæ maria nauigantes in portum, cum imminebit procella, recipiant; et itinerantes ſub tectum: et intelligent agricolæ quando citra diſpendium exequi munera ſua poſſint; ſuaque commercia homines felicius transigere: quamuis enim vel ob imperitiam prædicentis ſæpe contingere poterit, vt alii fallantur; vel quod ſuperior aliqua, et fortior cauſſa, quæ ſuperueniet, et vetabit, ne qui alioquin futurus erat euentus, [a] veniat: nihilominus periti Aſtronomi hoc genus rerum cognoſcendarum frequentius aſſequentur. Quamobrem hæc ſigna, locutiones, vel certe nutus Dei, non abs re, commode vocare poterunt; quibus de huiuſmodi rebus, quas ego ipſe Deus agere decreui, eminus veluti homines alloquendos velim: et in cælo, tamquam in libro, vt ibi legerentur, initio ſcripſerim. Quod quoniam iudicio generali, quo mundum hunc quem modo creaui, ac iam perficio, ſum iudicaturus, peracto non fiet; ea propter tunc complicabuntur, [b] ſicut liber cæli, vt inde ſiderum, cælorumq. ſeries, diſpoſitio, et ordo, qui fatum quibuſdam hominibus appellandum ibit omnium [c] primum, quod illis ego Deus mortales futuros ſemel, quando cælos creaui, ſim allocutus: et meam hiſce de rebus voluntatem * aperuerim. quod fatum [d] aliis Imarmenis dicetur: quod indeclinabilis, et inconſumptibilis eis eſſe videatur horum cæleſtium globorum ſeries, et ordo, a quibus et id genus rerum efficietur, et pendebit, et noſtræ Diuinæ prouidentiæ ratio explicabitur. Vt ſi aliquorum ethnicorum hominum ſententia [e] de fato huc vſq. progreſſa tantum erit, eximent ſane a cælorū efficiētia humanas actiones, et res, vt certe erūt eximēdæ:

a *Vti ait Ariſto. lib. de ſomn. et vigil. in calce, et ſubſcribit S. T. 3. contra gent. cap. 85.*

b *Eſai. 34. quē locum de conſummatione ſæculi, et iudicii die Euſeb. libr. 2. de præpara. & Epiphanius in Ancyroto intelligunt.*

c *Latinis. ſ. ideo ſic initio dictum.*

* *Forſan id fore crediderim.*

d *Græcis videlicet.*

e *Vt fuit Chryſippi, & Stoicor. de qua Tullius de diuinat et Gell. lib. 5 cap. 2. & Ariſt. 6. Metaphy. & 1. Perihermen.*

nec illi profecto, nec eorum cauſſa fati notio in hominum fidelium populo, et Catholica eorum Eccleſia vſq. adeo male audient. Iam vero [a] ſolis, et aſtrorum ſigna, et affectiones, præſertim lunæ naſcentis, quartæ, et plenæ, prænũciabunt nimirum varia: nam Pleiadum ortus æſtatem, occaſus hiemem indicabit. Rurſus prænotiones, et indicationes ſereni, tempeſtuoſiq. aeris, aliarumq. id genus rerum, a ſolis, lunæ, et ſiderum ortu, et occaſu [b] deſumentur. Ergo et in efficiendo cauſſæ ſunt futuræ, et in manifeſtando notæ, et ſigna; atq. adeo alia, et alia ratione diuerſas ſortientur nomenclaturas. Et quoniam dogma tãquam catholicum hominib. erit commendandum, corpora cæleſtia nequaquam eas res, quæ in hominum ſitæ erunt arbitrio, fore effectura, et quæ ab electione hominum pendebunt: inde ſequitur, vt hæc earum ſigna, et notæ certe eſſe poſſint. Quamobrem tamquam [c] minus verum aſſerendum erit ab hominibus, me Deum in corporibus cæleſtibus, tamquam in tabulis, et chirographo; aut ſcripſiſſe, aut pinxiſſe euenta omnia, hominum ortus, vitæ, morumq. progreſſus: citra tamen arbitrii eorum vllã vim, aut coactionem; neq. vim aliquam habere aſtra ad hæc efficienda. Cum enim res nonnullæ natura ſignificent, vel futura ſigna hominibus ſint; aliæ vero vel Diuina noſtra, vel humana hominum inſtitutione dumtaxat; et priora quidem ſigna naturalia, poſteriora vero ſigna data vocabuntur: nullum [d] naturale ſignum reperietur, quod vel cauſſa quadam tenus, nõ ſit eius rei cuius ſignũ erit, vel certus quidam effectus. Proinde cum aſtrorum diſpoſitio, et tabulæ, effectus nõ ſint rerum humanarum futuræ; et nihilominus ſigna naturalia earum ſint futura, oportebit, vt cauſſæ earum exiſtant: et ſi cauſſæ quoq. nõ ſint, nec etiam earum ſigna naturalia eſſe poterunt. Non ergo

[a] *De iis pauca Baſil. at fuſius Plin. lib. 18. et lib. 16. ait arbores nõ eſſe cædendas a luna viceſima in triceſimã.*

[b] *De iis ſcripſit Conſtantinus Cæſar toto 1. lib. præceptionum de agricultur. interp. Iano Cornar.*

[c] *Vti dixerũt Ploti. lib. vtrũ ſtellæ aliquid agant; & de fato cap. 6. Origenesq. & Euſeb. lib. 6. de præparation. cap. 9. et 1. periarch. cap. 1.*

[d] *Hoc ſcite adnotauit Ioann. Picus lib. 4. cõtra Aſtrologos.*

ergo ſidera natura ſua præſignabunt in vniuerſum res humanas,ſed nec etiam inſtitutione noſtra Diuina,quę nos hominib. ſigna daturi ſumus, cum ad eorum certe inſtitutionē,et admonitionem dederimus: volumus,vt apertam aliquam habeant cum rebus,quas pręſignabunt,analogiam;qua facilior,et latior hominibus aditus fiat ad arcana noſtra dignoſcenda, quorum gratia ea ſigna dedimus: vt proinde verum ſit, ſigna [a] ſacra, quæ hominibus aliquando ſunt conferenda, imaginem gerere earum rerum quas indicabunt. Quod quidem adeo manifeſtum videri hominibus debebit,inductione ſanctorum omniū ſignaculorum, quæ primis eorum patribus, atq. ſubinde eorum ſucceſſoribus pariter, et deinceps diuinitus fidelibus cunctis exhibebimus,vt non opus ſit cuipiam hominum fideli inſtitutori,in eis explicandis tempus conterere.At vero ſidera nullam conuenientiam cum rebus quę hominum liberi erunt arbitrii,habebunt niſi per accidēs, ac diſpoſitione remota, et contingente; non ſimpliciter neceſſaria,et [b] ſufficiēte,vel quam homines eis dederint. quare et ſigna data ab hominibus [c] dici poterunt. Non ergo luminaria ſigna a nobis ſunt diuinitus inſtituta ad per ſe manifeſtandas hominum electiones, et res humanas;vt efficaciſſima ratione,modo propoſita,eſt manifeſtum: quidquid oppoſitum aliquibus hominib.[d] videbitur. Itaq. homines fide vera illuſtratos oportebit a ſignis cæli minime metuere; quæ timebunt gentes,quarum leges erunt vaniſſimæ. Si enim hominum volūtates aſtrorum diſpoſitioni,et legibus ſubiiciēdæ a nobis ſunt;quomodo,rogo,liberi futuri eſſent? (liberū plane ſumus hominem creaturi) quomodo aut bonis, præclariſq. operibus laudem,et præmium; aut malis,et facinoroſis vituperium,et ſupplicia promerebuntur?ſi vim,et efficaciam

a Vt ait Magiſt. 4.diſt.1.

b Ita Aliacēſis dē cōcord. Aſtrol. cū Theol. verb. Tertio. nec id negaret S. Thom. 3. contra gen. cap. 92.

c Nimirū a Chaldæis, Aegyptiis, et Aſſyriis; vt docet recte Tullius libr. de diuinatione.

d Vt uiſum eſt Plotino, Origeni, Euſebio, Guiliel. Pariſ. lib. de vniuerſo. quam ſententiā dicit Augu. lib. 5. de ciuit. cap. 1. placuiſſe viris nō mediocriter doctis: ſed nobis Pici ſententia probabilior valde eſt.

aſtra cæli in eorum humanas actiones, nacta ſua natura aliquo modo eſſent; quomodo non conſilia, leges, et reliqua omnis humana ſocietas, et fides tollentur, et eliminabuntur? Itaq. fugiendi erunt hominibus, et abominandi [a] omnes ſuæ prolis huiuſmodi malefici, et mathematici, et genethliaci, qui aliter eos docuerint, quam veritas hæc nunc propoſita ſe habet: quod nimirum ſic philoſophantes leuiſſimi, et vaniſſimi erunt homines, et fruſtra in rebus ſublimibus curioſi; adeoq. inſani, vt oculorum iudicio confiſi, altiſſima, et abditiſſima ſeſe cõſequi poſſe non dubitent. Omnia igitur hominum conſilia, et humanæ actiones ex voluntatis eorum deliberatione procedent. quæ in vtramq. partem circa vnamquamq. rem, proſequendam, vel fugiendam, plenam habebit facultatem. Ex hac enim libertate arbitrii, et non ex cælorum influxu, et impetu, exorietur aliquãdo duorum hominum (qui [b] vno alioquin parẽtum congreſſu fuerint procreati) tanta in eorum vita, moribusq. diuerſitas, tanta in actibus diſparitas, tanta in parentum amore diſſimilitudo, vt inimicos eos faciat morum ipſa diſtantia, quos ſanguinis coniunctio, et naturæ conceptus mirum in modũ intimo fœdere ante copulaſſet. Et fiet, vt vnus ducat mercenariam ſeruitutem, alius non ſeruiat, vnus a matre diligatur, alius non; vnus honorem qui apud patres habebitur, amittat, alter adipiſcatur. quid de vxoribus? quid de filiis? quid de rebus? quanta futura etiam ſimilium diuerſitas, facile homines experientur. Erunt itaq. cæli luminaria in ſigna earum rerum quas efficient, videlicet naturalium.

ET TEMPORA. Rurſum aliud beneficium cæli luminaria non contemnendum hominibus exhibebunt, quod tertium cum ſuperioribus annumeramus, non minoris ſane faciendum quam præcedentia: videlicet quod ſint

a Contra quos eſt totus titul. de maleficis, & maleficiatis in Codice: et concil. Toleta. primum cano. 21. Bracarenſe cap. 9. 10. 20. & Aug. lib. 5. de ciuit. multis capitib. maxime 4. Chryſoſt. hic homil. 5. & 6. Baſil. homil. 6. Ambroſ. lib. 2. Hexame. & copioſe Epiphan. in Manichæos, & Ioan. Picus lib 4. cõtra Aſtrologos.

b Verba ſunt Auguſt. de ciuit. cap. 4. de Eſau, et Iacob loquentis.

ſint in ſtata tempora plurimarum rerum. Omnia namq. ſuum tempus habebunt, et ſuis ſpatiis tranſibunt vniuerſa ſub cælo: tempus ſiquidem erit naſcēdi, et tempus moriendi: tempus plantandi, et euellendi quod plantatum erit: tempus occidēdi, et tempus ſanandi: tempus deſtruendi, tempus ædificandi: tempus flendi, et tempus ridendi, et c. Quapropter negotiis obeundis certa quædam, et ſtatuta tempora, a cælis veluti hominibus præſcribentur: in quibus cum fient, oportune, et tempeſtiue ab eis fieri dicentur. vnde noctem intempeſtam ſoliti erunt plures corũ [a] vocare, quod multa nocte nihil actionum ciuiliũ agi, tempeſtiuum erit: eo quod tempora, quæ pro diebus maxime ſupponent, rerum bene agendarum occaſiones ab hominib. dicentur. Quadruplici ergo temporum viciſſitudine, ſcilicet hiemis, veris, æſtatis, et autumni; ſiue cælorum viciſſitudine, et cõuerſione futurum procreandum hominem ex iis edocemus, tempora commoda, et opportuna eis fieri ad ſeminandas, et demetendas fruges, ad nauigandum, et id genus negotia conficienda, quę hominum ipſorum vſibus inſeruient; et quę ſi qui nouerint apprehendere, ſapientiores ceteris exiſtimabuntur. Præterea ſtata tempora, etiam cælorum, et luminarium conuerſione hominibus præſcribentur: herbis quidem, et arboribus, ſemina, floresq. et fructus emittendi, et maturandi: animalibus vero inuicem congrediendi, concipiendi, ouificandi, pariendi, et id genus. Ad hęc luminaria futura ſunt in ſtata, et præfinita quædam tēpora, hoc eſt, in certas, et determinatas rerum condiciones, et periodos, quæ ſideribus ſubiacebunt: per quæ cælorum luminaria nos ſummus rerum opifex ſubindicare voluimus rebus omnibus, quæ conuerſionibus cæli ſubiiciuntur, nos pręfiniſſe tempora vitæ, durationis, et conſiſtentiæ, quæ pręterire

Eccleſ. 3.

a Latini.

non poterunt. quamuis et ſæpe homines ea ſibi imminuent, et nos quoq. propter hominum ſcelera decurtabimus aliquando; ac propter hominum vitæ miſeræ labores, eorundem peccata concomitantes: quod a peccato quidem primorum hominũ afferet profecto reliquis hominibus beneficium non vulgare. nam vitæ eiuſmodi ærumnis, et calamitatibus puriores animæ hominum liberatæ, meliorem vitam adipiſcentur: quamobrem eas et longioris ſæpe vitæ [a] tædebit. Permagnum itaq. hominibus cenſeri debebit hoc beneficium cæli luminarium: quod tum homines, tum etiam reliquæ infernæ creaturæ ab illis capient.

ET DIES. Sed et quartum beneficium, idq. periucundum eis cæli luminarib. nos opifex condonauimus: videlicet ea pro munere, et officio habere, vt ſint in dies, hoc eſt, vt præter ſolis curſum, qui dies trita ſignificatione hominibus ſumptos, longiores efficiet, ac breuiores; ſint quoq. ab aſtris effecta alia dierũ diſcrimina, et [b] mutationes: et erunt dies alicui Oceani parti tranquilli, quos quidã vocabunt [c] Alcyonides: et ſunt dies futuri nautici, et pluuioſi, cum Pleiades (quas et Virgilias nuncupabũt) orientur. Rurſum et dies feſti, et [d] profeſti. Erunt itaq. in dies, et tẽpora legales teſtantia feſtiuitates. Non igitur intelligẽdum hoc loco, a me diem accipi ea trita, vulgariq. futuris hominibus ſignificatione: ſic enim ſolis iubar ortu, occaſuq. ſuo diem a nocte, hunc medium quartum diem ſeiungere iam dixi. Sed primum quidem pro definiendis, et Diuina noſtra, et humana futura lege, cum ad cultum, et obſequium ſui ipſorũ Dei, tum vero ad peragenda alia negotia: mox autem et pro criticis, [e] theoriticis, medicis, ſalubribus, et inſalubribus, accipiendos eſſe dici-

Pſalm. 88.
Pſal. 141. 3. Reg. 19.
a *Vt Socrat. emphaticoteron dixerit in Platon. Phædone non eſſe philoſophum cum qui mortem ægre fert, ſed philoſomaton, id eſt, amicum corporũ, nõ ſapiẽtiæ.*
b *Vt Manilius ſcripſit.*
c *De quib. Cælius Rhodig. lib. 14. lectionum antiquar. cap. 9. 10. & 11. Nautæ enim ſummam notant tranquillitatem 8. kal. Martias in mari Atlãtico, quos dies Alcyonides vocarũt antiqui Poetæ.*
d *Siquidẽ Hebræi, ac ceteræ oẽs gentes feſtos dies a luminariũ cõuerſionib. et viciſſitudinib. capiunt, Hebræi quidẽ Neomeniis, Scenopegiis, Paſcha, Pentecoſtẽ a luna alii autẽ, vt Latini, a ſolis, et lunæ conuerſionib.*

e *Vide Cælium loco citato referentem Galenum.*

dicimus. Porro antem [a] dies albos, lætos, fauſtos, et his aduerſos, iuxta humanarum gentium nomina, vel hominum infidelium ſuperſtitioſos ritus, videlicet Aegyptios, ſeu poſtriduanos, et infauſtos ad obcunda negotia, tamquã ex ethniciſmo profectos, repudiandos eſſe ab hominibus, qui recta in Deum fide præditi eſſe debebunt, minime eis dubitandum erit.

a De iis Cælius ibid. cap. 9. quos dies iam pridẽ repudiauit Eccleſia.

ET ANNOS: Iam quintum luminaria iſta officiũ ſibi ex noſtra munificẽtia vendicabunt, quo et quintum hominibus beneficium non parui pendendum, ſed maxime commendandum, exhibebunt: videlicet annos efficere, ac diſtinguere: vt ſcilicet, quemadmodum ſol ſua cõuerſione annum ſolarem efficit; ita luna, et ceteri errones, ſeu Planetæ ſuos ſinguli conficient annos: quare alii futuri ſunt breuiores, alii lõgiores. Sicuti quem Mercuriũ, et quem Venerem vocabunt, ii æquales ſolarib. efficient annos: ſane quia ad generationis perfectionẽ, ſoli aſcripti a nobis opifice tamquam comites, Mercurius, et Venus [b] fuerunt. Etenim quintus Planeta, qui Venus ab hominibus vocabitur, eodem tempore ciebitur in ſuo epiciclo, quo ſol in ſuo deferente orbe: eademq. ferme ſexti Planetæ motus, qui Mercurius eis dicetur, eſt ratio. Quapropter Venus a ſole, ne duobus quidem ſignis vnquam digredietur, et in vna linea epicicli coniungentur: vnumq. tunc centrum habebunt, vt non ſit mirum, ſi æquales ferme curſus conficiant. Sunt quoq. futuri et anni magni, et [c] maximi: nec profecto dubitandum cenſere debebunt homines, plurimum eis prodeſſe ad recte, ſalubriterq. vitam ſuam tranſigendam, annorum, dierum, temporum varietates, et veluti proprietates [d] cognoſcere: adeo vt redargui poſſint illorum quicumq. exiſtimantes, cunctam ſiderum contemplationem inanem eſſe, et infrugiferam;

b Ita tenet Iamblichus, & forte verius.

c De quib. Lilius Greg. Gyrald. accuratiſſime lib. de annis, et menſib.

d Ita ſentiunt Baſil. Ambroſ. Hugo de S. Victo. et veteres alii, et S. T. opuſcu. de indiciis aſtrorum.

ac pulchrius eſſe quam vtilius,ſiderum inueſtigare [a] curſus.hoc quidē aſſerere,ſapientum virorum non erit: non enim [b] paucas vitæ hominū cōmoditates temporū ſcientia,dierum numerus,et anni circulus eis adferēt; nec erit qui ſingulas recenſere poſſit.Ex quibus intelligent,ingens hoc eſſe illis luminarium beneficium cæleſtium, nec ceteris ſuperioribus dignitate,et vtilitate inferius.

a Vt dixit Aeneas Siluius.

b Verba ſunt D. Chryſoſt.

ET LVCEANT IN FIRMAMENTO CAELI, ET ILLVMINENT TERRAM. Sed non hic ſiſtit elargitio noſtræ perimmenſæ bonitatis in prędictorum beneficiorum tantum communicatione: aliud namq. hominib. ac reliquis creaturis corporeis fere immenſum,et iucundiſſimum, eorum munere, illis ſumus hodie elargiti.Produximus enim aſtra cæli nos rerum opifex,vt non ſolum infernis,ac etiam ſupernis corporib: luminaria illa prodeſſent,ſed etiā vt in firmamento cæli, et extenſione cælorum lucerent, et terram illuminarent: et ſic fieri ea iuſſimus,vt perfunderemus luce cælos, qua actuoſiores,et potentiores efficerentur: (ſiquidem agunt motu,et lumine)aerem deinde,terramq. et aquas illuminarent;quę affecta luce concipient,parient,alent,et fouebunt herbas,frutices,plantas,et animalia : inde et noctes in plenilunio calidiores erunt, ac piſces efficientur pinguiores. Ad hæc,vt dies ſole,ita nox luna,et aſtrorum radiis, itinerantibus, et negotia obeuntibus opportune deſeruiet: quo tandem videre hominib. licebit,Creatorem ſuum patenter declarare, in luminarium cæleſtium effectione, gratia cum primis eorū ſe illa efficere. Nam quibus aliis,eos rogabo, data fuerūt cæli luminaria in ſigna, tēpora,dies, et annos, niſi vobis hominibus? et quorſum volui ego Deus, et omnium Dominus, vt illuminarent terram,niſi propter vos homines? quis hæc,quæſo,veſtrū

non

non perſpicit? et nō totis præcordiis maieſtatem meam, ſapientiam, et erga vos largiſſimam beneficētiam ſapientiſſimi opiſicis Dei veſtri adoret, laudet, et veneretur?

ET FACTVM EST ITA. Pręcepit ergo ſuo infinito, et incomprehēſibili verbo ab æterno, vt hoc quarto die hæc cælorum luminaria ad ſupradicta iucundiſſima, et præclariſſima munia obeunda fierent, et eſſent: et factum eſt, ſeu fuit ita, vt ipſe ſua omnipotentia pręcepit, decreuitq. et imperauit. hoc videlicet modo, excludēdo ſcilicet cooperatores omnes; fecit nimirum ſe ipſo, immediatione virtutis, et ſuppoſiti.

ET FECIT DEVS DVO LVMINARIA MAGNA. Duoq. luminaria magna effecit; duos Planetas, ſolem videlicet, et lunam; qui et dioſcuri, et germani quoq. dicūtur: quæ duo luminaria non mole [a] magna aliorum aſtrorum comparatione dicūtur. ſiquidē Aſtronomi contēdunt, ac iuſtis ſignis, et argumentis euincunt, nōnullas ſtellas eſſe luna maiores: ſed magna a me dicta ſunt, quod reliqua aſtra, a quib. longius multo abſumus, his minora nobis eſſe videantur; et quod præ ceteris fulgeant, et munera, atq. beneficia meliora, ac magis conſpicua mundo exhibeant: et ea ratione ſolem quidam mundi dominum, ac lunam Reginam aſtrorum [b] vocant: a quibus alii [c] vitam infundi aſſeruerunt. Proinde functionibus, efficacia, et beneficiis magna ſunt. Si autem ſcrupulus hic veſtra ingenia moueat aduerſum explicationem iſtam, ſtellas eſſe ſole, et luna, et erraticis pręſertim, efficaciores, eo quod ſunt ſitu ſuperiores; quoniam agens entitate præſtantius, virtute quoq. et efficacia in vniuerſum [d] perfectius eſt; non ob id hac in re trepidandum eſt: nā modo non eſt ſermo noſter de actione quæ per motum fit. ſic enim, id eſt, quatenus cæleſtia corpora per motum agunt

a *Vt Beda, et Steuchus exiſtimant.*

b *Ita Orpheus.*

c *Albumazar, & Ptolemæus.*

d *Vt Scotus ſimpliciter verum, et in vniuerſum putat, 4. d. 12. q. 3.*

agunt in inferna,tāto viuaciora,et virtuoſiora ſunt,quanto ſunt entitate præſtantiora,atq. ob id ſitu ſuperiora. At vero nunc de iuuamentis diſſerimus, quæ ab ipſis et per ſpeciales afflatus, et virtutes illis ab opifice traditas (qui ſingulas eas tribuit vt voluit) lucem potiſſimum, nanciſcimur; in qua ſtellæ fixæ a ſole, et luna proculdubio ſuperantur: ſiue eam quam habent, totam a ſole habeant, (vt de hoc antea dicamus) ſiue quod nimium diſtent ab elemētis,et in ea luce ſua non admodum afficiant,ſi mauultis: et proinde in hac entitate eminet ſol, non ſtellæ; quamuis in entitate formæ ſubſtantialis,ſimpliciter,erronibus fixæ fortaſſe eminent. At vero in hoc ſaltem luna commēdatior, ac præexcellentior eſt, quia eius motum, et effectus quos efficit in hæc inferiora,exactius certe, et manifeſtius percipimus, quam ſtellarū aliarum functiones,et officia. Ex quibus liquet,vt agens ſit ſimpliciter,et in vniuerſum aliis præſtantius, non ſufficere vt entitate ſola,et precise ſumpta ſit nobilius;ſed a oportet illud aliis et entitate,et ratione agendi præcellere.Opifex autē hoc die voluit nobis inſinuare, ſe voluiſſe rationem agendi ſoli,et lunæ ineſſe præſtantiorem quam aſtris;et quātum ad lucem pertinet,et (vt arbitramur) quantum etiam ad influentias ſpeciales. Et proinde quoq. voluit,vt ſuperna ſitu,atq. adeo entitate naturę,ſimpliciter perfectiora,minus actuoſa, et efficacia in hac agendi ratione ſint hiſce infernis; vt ſicut ſuperius quantum ad ſitum, et motum ſol,et luna ſubſunt,et minus conſpicua ſunt,ita illa quan tum ad lucem,et quædam ſpecialia dona Dei,locum his ſua ſponte concedant. Quæ quidem magnopere conſentanea vobis videri debent operi Dei,quo fecit iſta duo luminaria magna vt vnum diei,alterum vero nocti,vt ſtatim dicam,præeſſet; præ ceteris nimirum et luce,et virtu tibus

a In hoc defuit regula Scoti ſupra poſita.

tibus aliis,quæ in maieſtate naturę latent.Ex quibus omnib. certe illud firmiſſimum in natura axioma educitur: Agentia, ſcilicet, eſſentialiter ordinata quanto ſuperiora ſunt,et idcirco entitate præſtantiora;tanto quoq. in ea ratione agendi, quam iuxta naturæ præſtantiam communicant, ſunt infernis validiora; niſi tamen alia quædam efficiendi ratio infernis melius,et cum primis inſit: tunc enim ſecus res ſe habet. Rurſus, ſi ſcire vultis diſcrimen, et differentiam inter hæc duo luminaria magna, tum in dignitatis præſtantia, tum in muneris nobilitate, dicam. Luminare maius,ſcilicet ſolem,produxit vt pręeſſet diei; et luminare minus vt præeſſet nocti,vt dicemus:itaq. ſol luna maior proculdubio eſt; maior(inquã)et mole,multis enim partib. terra [a] adeo maior eſt,vt Aſtrologi [b] exiſtiment,cẽties ſexagies ſepties eum terræ magnitudinem continere:eſt ſiquidem maximus omnium ſtellarum.lunam autem conſtat terra eſſe minorem, cum cuſpis, vel conus pyramidis vmbræ terræ eam obſcuret: et dicitur eſſe vigeſima octaua pars [c] terrę.Maior etiam lumine:ſol enim vel natura ſolus lucet, ac ideo ſolem apud homines aliquos dictum eſſe quidam velint,et fontem [d] luminis;vel certe cuius luce aſtra perfuſa,licet nonnihil quoq. natura luceant,iuuentur tamen plurimum,et auctiora,et vigoroſiora reddantur,et in terris conſpiciantur;cum primis autem luna,quæ aut a ſole habet vt ſplẽdeat,aut certe ita inſigniter. In deliquio namq. cernitur tãquam pruna ignis rubere.Eſt item maior,et præexcellentior ſol luna motus ſimplicitate:numquam enim ſol a medio latitudinis zodiaci,hoc eſt,ab ecliptica decedit;cum luna,et reliqui Planetæ nedum recedant, ſed etiam tamquam ſacram eam vereantur.quaprópter Aſtronomi,reperto ſolis motu,facile ſe inuenire,et metiri aliorum Planetarum

con-

a *Plato in Timæ. Cicer.2.de natura deor. Plin. lib.2.*
b *Aliqui Aſtrologi.*
c *Licet Plini.lib.2. & alii oppoſitum teneant.*
d *Ita vocatur ab Heraclito,et Ariſto.2.de anima.*

conuerſiones cognouerunt. Ad hæc, ſol maior luna cenſendus auctoritate, et principatu. Etenim Planetæ qui ſoli coniuncti ſunt, et concordes, ſummi, et directi vocantur; cum vero ab eo econtra regrediuntur, diſcordes, infimi, retrogradi, et oppoſiti appellantur. Tandem a ſole habent, vt orientales, et occidentales efficiantur; vtrobique enim condiciones, et cognomentum mutant: et cum lumine agant in hęc inferiora, et ab eo lumen mutuo accipiant; coguntur etiam, ſuas eorum vires magna ex parte eidem acceptas ferre: et neceſſe eſt, facultates quę illis formaliter inſunt, ſoli etiam vel formaliter, vel eminenter ineſſe. Quibus rationib. adducti noſtri maiores Chaldęi, et Aſtronomi, ſolem in [a] medio Planetarum, veluti eorũ dominum, quiq. vtriſq. ſupernis ſcilicet, et infernis lucẽ commodius impertiatur, ſitum eſſe arbitrãtur. Magnum ergo miraculum eſt elementum, et ſidus hoc, videlicet ſol, nec eſt qui eius laudes pro dignitate [b] prædicare poſſit; adeo vt minime mirum ſit, idololatras, qui in vaniſſimis, impiisq. ſuis ſuperſtitionibus multis modis in diuerſum abierunt, in adorandis tamẽ his ſiderib. eximio quodam, et inſano cultu, mirifice conſenſiſſe. Sol igitur luminare maius merito dictus eſt, luna vero luminare minus; quæ quidem apud [c] Latinos a lucẽdo dicta eſſe poterit, quod ſola noctu luceat. quamobrem et noctiluca aliquibus dicta eſſe poterit; videlicet inſigniter et vſib. hominũ, et animalium præ ceteris aſtris noctu inſeruiẽs. Nam etſi interdum ratione noſtri minima appareat ratione luminis, videlicet quando eſt in ſextili ſolis; quod contingit ſaltim poſt biduum coniunctionis cum ſole: et deinceps maior, quando ſcilicet eſt in ſolis quadrato, hoc eſt, quãdo diſtat a ſole tribus ſignis, quę efficiunt nonaginta gradus: ac deinde etiam maior, quando eſt in ſolis trigono, hoc

a Plato, et Ariſt. ſecuti Eudoxũ, & Callippum, ſolem eueſtigio ſupra lunam inter geminos mũdi quinarios reponũt; vt ſcilicet deſuper habeat 5. Planetas, uidelicet Mercuriũ, Vener. Martẽ, Iouem, Saturnum: ſubtus autem lunam, ignem, aerem, aquam, & terram.

b Verba ſunt D. Chryſoſt.

c Latini ſic ſentiunt; vt Cicer. de natura deor. et ante illum Varro 4. lib. de ling. Latin.

hoc eſt; per quatuor ſigna; ſiue centum viginti gradibus diſtat a ſole: ac tandem maxima nobis ſe oſtendit, quando videlicet eſt in ſolis oppoſitione: atq. ſimiliter deinde in lucis ſuæ ratione noſtri diminutione eundẽ ſeruat ordinem; et ſimiliter nobis ſeſe demonſtrat, quando eſt in trino, et quadrato, ac ſextili: tamen principari ſe huic mũdo inferno, ſemper declarat; vt proinde reliqua aſtra licet noctu quoq. emicant, et etiam, vt ſtatim dicam, præſidere videantur; tamen aſſeclæ potius ſint duorum principum, ſolis ſcilicet, et [a] lunæ.

LVMINARE MAIVS VT PRAEESSET DIEI. Solem autem fecit opifex in dominium diei, vel quod dominaretur interdiu, hoc eſt, non prima tantũ diei hora, vt vane poſſent aliqui Aſtronomi exiſtimare; ſecundam diei horam Mercurio, tertiam Veneri, quartã lunæ, quintã Saturno, ſextam Ioui, ſeptimam Marti, octauam rurſum ſoli aſcribentes; nonam denuo Mercurio, et ceteris ſigillatim in circulum remeantes; et hoc [b] modo deinceps; diſpertientes primam diei horam ſoli, ſecundã Planetæ cuius nomini dies eſt aſcriptus, tertiam illi Planetæ qui hunc eueſtigio ſecundum ſitum ſubſequitur: et ita ſingulas conſequenter horas ſingulis Planetis, pro libito, inſane quidem [c] aſſignantes. Commẽtitiæ ſunt hæc, et vana; non ita res eſt: ſed luminare hoc maius, ſcilicet ſol, factus a Deo eſt, vt diei integræ, ac propterea ſingulis eius horis, hoc eſt, quamdiu lucet in hemiſphærio, dominaretur, et præeſſet. Etenim ſol interdiu vnius, aut alterius hemiſphærii terras illuſtrat, calefacit, occulta in apertum profert, gignit, vegetat, mouet, exhilarat, fouet; quod eſt eum dominari, et præeſſe. Quamobrem et diurna natiuitas melior nocturna exiſtimatur; et cum ſol aſcẽdit medium cæli, etiam melior eſt: (eſt enim veluti in regni ſui

arce

a Hinc Proclus in Timæum vocat ſolem in rerum genitura, & ortu patrem, ob calorem quo affluit; et lunã matrem, ob humorem quẽ infundit: nam calore, et humore omnia mixta aluntur, et conſeruantur.

b *Ita exiſtimant quidam Aſtrologi.*

c *Ita alii quidam Aſtrologi docuerunt.*

arce) et regiones quæ a ſolis lumine, et calore remotæ ſunt, a vita pariter remotæ cenſentur.

ET LVMINARE MINVS VT PRAEESSET NOCTI. Luminare autem minus, hoc eſt, luna, factum eſt vt dominaretur nocti: quæ quidem quietē hominibus affert: et niſi ſtellarum radiis vtcumq. mitigaretur, horribilis aſpectu eſſet. Sicq. cum fortunam nobis aduerſam eſſe videmus, et nullam nobis viam patere ad eam ſuperandam ſignificare volumus, per tranſlationem dicere ſolemus, Nulla mihi ſtella lucet. at vero cum et luna fulget, fit præterea iucunda et delectabilis: ob quam rationem et creatam ab opifice fuiſſe plenam, minime vobis dubitandum eſt. alioquin quomodo quarta hæc dies tota fuiſſet ſerena, et luminoſa? vt fatendum eſt. Eſt enim nox diei naturalis pars. Ac rurſum, cum cetera omnia opifex creauerit integra magnitudine, et robore: quo modo nō etiam lunam integram fecit? Sol ergo diei dominari dicitur, et luna noctu, eleganti tropo: quod alternis officiis ſuas ferme facultates inferno mundo, tāquam ei præſidentes, motu, et lumine vibrant, et impertiuntur. Vt ſi corpora cæleſtia aliis quoq. influentiis in hæc inferna agunt, omnino oporteat, luci, et motui illorum eas eſſe coniunctas; atq. vt luculētius dicam, lucem, et motum eſſe earum vehicula: quoniam iis præcipue dominantur. Ac proinde intelligite, lunam, cum plena eſt, potentiorē eſſe: et ob hanc rationem [a] aliqui hanc perpetuo obſeruant, quidquid rerum ſunt auſpicaturi: adeo vt ne vereātur et lata lege vetare in populis, ne ante [b] plenilunium bellum ineant.

Pſal. 103.

[a] *Tales ſunt Græci.*

[b] *Hāc legē poſtea Lycurgus Lacedæmoniis iniūxit, teſte Luciano lib. de Aſtrologia.*

ET STELLAS. Nec tantum in cælis fecit Deus iſta duo magna luminaria, verum etiam produxit ſtellas, diſtinctas quidem primum omnium a ſole, et luna no-

mencla-

menclatura,etiam ſi luminaria quædam illæ ſint,non tamen retinent ſibi commune nomen generis: quoniam in genere illo luminarium non ſunt,veluti obſcuriora,et minutiora,ſed eminēt certe,et magis cōſpicuæ ſunt:ideo vēdicant ſibi ſpecialia nomina,videlicet ſtellas;quarū nomine intelligite hic et erraticas,et applanes,hoc eſt,ſtellas Planetas,et illas quę primo mobili affixę ſunt.quarū quędā maiores,quędā minores ſunt,vt etiā cęleſtes orbes qui eas deferunt;quorū alii ſunt qui ambiunt,alii qui ambiūtur.Quinimmo ſicut et Angeli qui globos illos cōuertūt, vnus ſiquidē alio ſpecie,virtuteq. præcellit:et cēſere poſſunt aliqui,totam horū vim exhauriri,abſorberiq. ſui cuiuſq. mobilis [a] cōuerſione.Vt ſi aſtrū cui malueritis cęlo Deus denuo inſereret,validiorē ſecundum hāc ſententiā poſceret ille orbis motorē,quam hic ſit,qui nūc illū mouet.Ac præterea ſtellæ fixæ oēs ad ſex gradus magnitudinis,tāquam ad ſex claſſes [b] rediguntur:et ex iis quadraginta octo imagines (demptis zodiaci duodecim ſignis) cōſtituuntur; vt ſunt,nauis,Caſſiopea,ara,corona et c. quas etſi exiſtimare quis [c] poſſit,eſſe vnius ſpeciei oēs,eo quod omnes circulariter moueantur,et vnius ſint figurę,verius tamen eſt,ſingulas inuicem differre ſpecie:nec temere ſane,nā ſingulę habent proprietates,et vires [d] ſpecie diſtinctas.quod et de Angelis,magnis,et efficaciſſimis argumētis ſemper cenſendū [e] eſt.Vnitas autē conuerſionis, et figuræ cælorum, et ſtellarū ſolam infert vnitatem generis, et ſpeciei ſubalternæ; non autē infimæ,ſeu ſpecialiſſimę, vt loquentur.Vires autē omnium ſtellarum ille ipſe nouit qui eas condidit:quamobrē et ipſe ſolus eas dinumerare poteſt,et omnibus eis nomina vocare, et imponere, hoc eſt,virtutes,et proprietates omnibus conſtituere,atq. tribuere.nec tuta ratio,vel cōiectura vobis eſſe debet,ſtel-

a Ita cenſent Peripatetici.

b Aſtronomi eas magna diligentia ita redegerunt, vt patet in 7. et 8. Almageſt. Ptolem.

c Vt putat Auerroes.

d Hæc ſunt omnia ex S. T. ſententia 2. cæli, tex. 59. ſecuti Ptolem. lib. 1. quadripartiti.

e Cum eod. S. T. vbiq. cōtra Albertum Magn. & D. Bonauētur. et oēs ſuæ claßis magiſtros primæ notæ, & grauißimos. Pſal. 147.

las non differre ſpecie a cælis, quod continuari cum eis credantur: quaſi verum ſit, vt quæ ſpecie inter ſe differũt, continuari inter ſe minime poſsint. falſum enim eſt hoc, cum frequenter videamus in tabulis marmoreis venas quaſdam lapidũ, ac riuulos, qui nihilominus inter ſe ſpecie, id eſt, formis, et proprietatib. diſtincti inſigniter ſunt; videlicet Iaſpidis, Serpẽtarii, Chalcedonii, Numidici, et c. pariq. ratione de ſtellis, et eorum globis, quibus affiguntur, dicendum [a] erit.

.ET POSVIT EAS IN FIRMAMENTO CAELI. Has autẽ ſtellas ab opifice productas fecit, et infixit in firmamento cæli, ſeu in expanſione cælorum: oẽs quidem applanes infixit primo mobili: ſingulas autẽ errones ſuis [b] orbibus propriis: vniuerſas tamen ſtellas infixit orbibus cæleſtib. tãquam orbium partes, quo modo natura poſuit nodos in tabulis. De deferentibus autem, epicyclis, eccentricisq. non multum vobis curandum cenſeo: quod vel in ſola ſint Aſtronomorum [c] imaginatione, et nuſquam; vel certo quod hæc rerum genera remotiora ſint non tantum ab hominum intellectu, ſed forte ab ipſa pietate; vel quæ vobis in futura vita manifeſtanda ſeruantur. Quapropter rem hanc ſilentio prætereundam ſtatui.

VT LVCEANT SVPER TERRAM. Poſitæ autem ſunt ſtellæ omnes iſtę a ſummo opifice in expanſione cęlorum, modo a me explicato, non ad ſolum motum quo inferna omnia gignerentur, et conſeruarentur: ad id nãq. ſatis fuiſſet, cælos abſq. ſtellis feciſſe: ſed vt motum earum ſileam, atq. earum influẽtias varias, et multiplices, iuxta diuerſas earũ virtutes, et proprietates; pręſtantiorem earũ functionem etiam motu, fortaſſe et notiorẽ explicabo, ob quam eas effecit, videlicet, vt luceant ſuper terram

a Contra Maigretum 2. cæli, q. 3.

b Cõtra Chryſoſ. qui vnũ tãtum cælũ conſtituens, omnia aſtra dicit moueri per illud, vt piſces in aqua, vel aues in aere, et nõ eſſe infixa; ſed opinio omnino oppoſita eſt verior, quam ſequimur in iſto text. quæ eſt Baſil. optimis argumẽtis; licet S. T. conetur eos conciliare 1. p. q. 63. art. 4.

c Ita tenẽt Hier. Cardan. lib. 2. de varietat. et Hier. Fracaſtor. illuſtris Aſtrolog. et Ioã. Bapt. Amicus Conſentinus: nec Ptolem. eos reuera eſſe ait, ſed ſolũ docet, ſatisfacere tãtũ, ſi ponantur ad effectus erraticorum ſiderũ dignoſcendos.

terram: non enim vſque adeo ſtellæ a terra diſtant, vt in eam omnes non ſplendeant; licet quædam magis, quædam minus.

ET PRAEESSENT DIEI AC NOCTI. Et præterea dominarentur diei, ac nocti, illis præeſſendo gemino ſcilicet[a] motu, proprio nimirum, qui ab occaſu in ortum fit, et eo quoq. quo a primo cælo mobili rapiuntur, et etiam ſuis proprietatib. et luce. Ergo nedum ſol, et luna, ſed et ſtellæ quoq. reliquæ moderantur corpora inferna, quarum præfecturas non eſt facile aſſignare: eſt tamen in eis aſſignandis facile hallucinari. Præſident ergo ſtellę omnes diei, ac nocti, non tamen abſq. duce, et Rege; quinimmo ſub ſole ipſę quoq. pręſunt, ac fortaſſe etiã ſub luna: quia nec præſidentes deſunt, qui ab aliis quoq. reguntur, et pendent; vt proinde, ſi pluralitas principatuũ hic eſſe videatur, mala tamen non ſit: quoniam pulcherrimo quodam, et incõparabili ordine ab vno tota pendet, et regitur. Quo fit, vt recte hunc ſtellarum ordinem, magiſtratum exercituum cęli, ſiue exercitus cęli, et militiam cæli dicamus, vbi multi ſunt duces ſub imperatore vno, illuſtri admodum metaphora ab exercitu militari capta: ac ita militia, et exercitus cæli, ſtellarum multitudo nuncupatur: nimirum ob inſtructiſſimum, et præſtãtiſſimum illum ordinem, quem perẽniter et inter ſe, et in exequenda, ac veluti propugnanda Principis Dei voluntate, vbi iuſſerit, ſeruant. Præſunt ergo ſuo quodam modo ſtellæ diei, ac nocti; et ſenſili huic, ac inferno orbi ſua exhibent beneficia, ob illaq. exhibenda a Deo factæ fuerunt.

[a] *De quo gemino motu ſtellar. Ariſtote. 12. Metaph. Plato 2. parte Timæi, Plotin. lib. de ornatu cæli.*

ET DIVIDERENT LVCEM AC TENEBRAS. Et rurſum etiam, vt ſuo modo ſecernerẽt, atq. ſecernere nos facerent lucẽ a tenebris, vt ad vnum effectũ plures videremus cauſſas ſubordinatas fuiſſe, lunam ſoli,

 et vtri-

et vtriq. ſtellas, Dei conſilio imperſcrutabili. Et quamuis etiam ſolis lumine ſtellæ dumtaxat nobis ſplenderent, non tamen ab eo vires omnes ſuas, et proprietates habēt, quas motu, et luce a ſole capta, et repercuſſa deorſum, exerunt, et emittunt.

ET VIDIT DEVS QVOD ESSET BONVM. Hoc autem tam præclariſſimum Dei opus, quo omnia cælorum luminaria, et ſplendidiſſima aſtra in tam munificentiſſimos, et pulcherrimos effectus, poſtquam ſummus opifex effecit; exegit, ac examinauit, ac contemplatus eſt: et poſtea quam examinauit, et contemplatus eſt, approbauit, et cognouit, atq. iudicauit quod eſſet bonū, cælo videlicet, et elemētis, et hominib. bonum inquam, vtile, decorū, iucundum, ac valde appoſitum. Tanta enim eſt bonitas ſolis, et lunę, et aſtrorum omnium, vt nulla in corporibus aut melior, vel ei æqualis vmquam viſa ſit.

Vide Ariſt. 1. Mete. r. cap. 1. & 8. Phyſi. tex. 1.

ET FACTVM EST VESPERE ET MANE DIES QVARTVS. Atque ſic tandem in hoc opere conficiendo a ſummo opifice, facto primum veſpere, ac deinceps cōtinuo facto mane, et ſubſecuto ſubſequentis diei, tranſactus eſt dies quartus naturalis, qui medium locum obtinet in hebdomada: habet enim tres anteriores ſe, et tres illum ſubſequentes; vt facile inter illum, et cæli ornamēta analogiam intelligatis. nam et hæc inter Angelos, et elementa eſſe videntur media. ac ſi ſolē illorum ornamentorum decus præcipuum, ſpectes; medius eſt vel inter errones, vel inter quinarios, ſupra a nob. commemoratos. et rurſum, vt quadratum non fluctuat, nec eſt inſtabile: ita corpora cæleſtia, cum primis luminaria, ſimiliter natura ſtabilia, et permanentia ſunt: et eodem modo ſemper ſe habent.

2. cæli, tex. 1.

DIXIT ETIAM DEVS: PRODVCANT

AQVAE

AQVAE REPTILE ANIMAE VIVENTIS.

Iam vero Deus omnium rerum opifex a corporibus cæleſtib. adornatis ſplendidiſſimis luminaribus; ad aquæ, et aeris elemēta, quæ inter illa, et terram intermedia corpora ſunt, nunc primū locupletanda, et venuſtanda procedit; et vtrumq. elementum, vno dumtaxat mandato, et replet, et ornat. Non quod [a] aquę, et aeris animalia, piſces ſcilicet, et aues, ex vniuerſo ſuo genere imperfecta ſint: quia nullum eorum animaliſicat in ſemetipſo, hoc eſt, nullum eorum viuiperum eſt, ſed ſunt ouipera omnia: non, inquam, ob id vno die hæc duo elementa exornat, atq. vno verbo vt in lucem hæc, et illa prodirent, ab opifice iuſſa ſunt. Nam et delphinus, [b] et cetus, et vitulus marinus, et piſces alii quidam viuos fetus vtero gerunt, et pariunt: niſi quod ex ſuo [c] genere, hoc eſt, pro maiori parte ouificent. Sed ea propter id ab opifice factum eſt, quod inter vtrumq. elementū arcta quędam cognatio, et ſympathia reperitur: quæ opificem Deum vt ſimul vtrumq. fecundaret, et ornaret, adduxit. Etenim vtrumq. humidū eſt, vtrumq. alieno termino terminabile, vtrumq. perſpicuum, vtrumq. permeabile, et liquidum; vtrumq. ſimul ventis agitatur, et feruet; et deniq. vtrumq. vel illuſtratur, vel obſcuratur: vt proinde mirum neutiquam ſit, ſi vtrūq. ſimul expolitum fuit, et repletum hodie animalib. Sunt etiam magna cognatione coniuncta vtriuſque elementi animalia: piſces enim, et aues ſimiliter ferme mouentur: illi namq. pinnulis flumina, et maria tranatant; iſtę alis in aere volitant: illi pedibus vt plurimum carent; hęc quamquam pedes habent, tamen dum volitant, minime eis ferme vtuntur. Preterea cum auribus [d] careant, meatus quidam in vtriſq. funguntur aurium officio. Rurſum veſſicā non [e] habent, ne, ſcilicet, volatum impediret, nec [f] mam-

[a] Hæc eſt opinio Caietani.

[b] Ità tenet Ariſt. 9. de hiſtor. anim. cap. 37. Plin. lib. 9. c. 8. Alber. Magn. lib. 24. de animal. cap. 1.

[c] Sic forte intelligit Caiet. illud, ex ſuo genere.

[d] Teſtatur hoc Ariſt. 2. de partibus animal. cap. 12.

[e] Idem ibid. lib. 3. cap. 8.

[f] Ita idē Philoſophus lib. 3. de hiſt. animal. cap. 20. licet recentiorū qui de piſcib. ſcripſerunt, quidam cetacea quædā conſtanter affirmant, & gignere, & lacte nutrire: Rondeletius enim ſcribit, in littore Aquitanico e ballenæ māmis detractos fuiſſe duos lactis cados.

mas:et lac deniq. non mittunt. Ac tandem auium genera quædam in aquis natant, piſcibusq. veſcuntur:et quædam vlterius:[illegible] quæ amnes, lacus, et maria tranatant, videlicet cy[illegible], grues, anitrę, anſeres, fulicæ, ſmergi, alcyones, ſiue [a] alcedines: vt ſi aliam cauſſam huius Diuini operis a conſtanti eius beneplacito, et ſumma libertate exquirere liceat, cauſſa hæc ſobriis, et piis hominibus probabilis valde eſſe poſſit. Præcepit ergo Deus, et practico ſuo imperio præcipiendo dixit: Hodie a me aquæ accipiant fecunditatem; vt ex eis, tanquam ex materia, proferantur pro ſua vniuſcuiuſq. aquæ natura, ac pro qualitatib. et locis, varii, multiformesq. piſces; quib. et repletæ ſubinde ſint, ac mirum in modum ornatæ. vt proferantur (inquam) et producantur ex eis, accipiant fecunditatem, et poteſtatem [b] ſcaturiendi, [c] eſtuandi, efferuendi, et ebulliendi, hoc eſt, in multitudine gignendi piſces. hoc eſt, volo piſces ingenti numero eſſe. tum quia aqua elementum vaſtiſſimũ eſt, tum etiam quia piſces breuioris vitæ vt plurimũ ſunt futuri, ob exiguum calorem, et exuberantem humiditatem: ac preterea, quia minores eſca maiorum futuri ſunt. et proinde, ne ſpecies aliquando diffluant, et pereant, numero incredibili hominibus futuris eos eſſe iubeo; et maiori certe quam futura ſint animalia [d] terræ: cui multitudini piſcium atteſtabitur eorundem ouorum copia, quã cernent homines: quamquam reuera permulta dilabentur, ſiquidem non omnia maris ſemine aſpergentur, ſine quo ouatio irrita fiet. quod tamen intelligendum hominibus erit, in eo genere hoc euenire, in quo mas inuenientur et femina. Minime enim improbabile erit hominib. in nonnullis piſcium generibus mares [e] non inueniri: et ideo eorum oua abſq. maſculi ope eſſe fecunda. Quod vero bicolorata non efunt, vt futura ſunt auium oua, in qui-

a *Vt vult Varro Latinis v[illegible]ari, li[illegible]*

b *Vt ait quidam, & Tigurini.*

c *Gloſſa ordinar. & Steuchus.*

d *Ita tenet Ambroſ.*

e *Quidam hoc putant.*

quibus vitellum ab albugine colore differet; et figuram acuminatam,et rotundam non habebunt, ſicut volucrũ oua habitura ſunt;in cauſſa eſſe poterit exiſtimari caloris inopia: qui cum ſit futurus in quibuſdam ouis volucrum fortior,et vegetior; in aliis vero languidior; et in vno,eodemq. ouo varius,et difformis; diſſimiles quoq. colores in eis efficient.et in quib. erit validiſſimus,ambiet,et continebit eorum extrema , et orbicularam gignet figuram, et mares procreabit: ſicut cum minus fortis erit,et extrema ambire non poterit, et propterea efficiet acuminata, ex quibus femellæ edentur.At vero in ouis piſcium caloris vis vbicumq. exigua erit, et propemodum languida, auium ouis comparata : et ob id colore informes,et forma omnes eſſe videbuntur.Aquas dixi in numero maiori: quod etſi occulta quadam venarum,et meatuum cõtinuatione vna tandem aqua fit; ſeiungentur tamen inuicem ſitibus , locis, ſalſedine, et dulcedine, ac differentiis quibuſdam occultis, prodigioſis , et admiratione dignis: vt teſtabitur aliquãdo fons aliquis [a] ita interdiu frigidus, vt bibi eius aqua non poſſit : nocte vero tam feruidus,vt ſuſtineri nequeat.Et aliquis alius erit dimanans,in quo faces accenſæ extinguentur,extinctæq. [b] accendentur.Quę venire hominib. [c] in falſitatis ſuſpicionem non debebũt. Conſtitutum ergo ipſis erit, non a qualibet aqua omnia quinq. piſcium genera , ab hominibus Philoſophis [d] introducẽda,ſcaturire: ſed alia Indicum quod appellabunt mare,alia Atlanticum, Mediterraneum deniq. alia ; et in hoc alia quod Euxinum vocabunt , alia Icaricum eis dicendum,alia Adriaticum ab eis nominãdum. Et rurſum ſalſæ alios gignent piſces,atq. alios dulces: et in dulcibus alios ſtantes, alios decurrentes : et in decurrentibus alios limoſæ,alios petroſæ aquæ [e] gignent.Ea ergo propter re-

a Talis eſt apud Garamantes, Lybiæ populos.

b Talis eſt in Epiro.

c Quas aliqui longe perſequuntur, & D. Aug. in lib. de ciuit. Dei, cuius sũt propoſita exẽpla, quæ in falſitatis ſuſpicionẽ venire non poſſunt, cum a ſanctiſsimo Doctore, mẽdaciorum perpetuo hoſte, & a Chriſtiana religione tam multo eorundẽ eliminatore afferantur: & Plin. et Alber. Magn. plura huius gener. admiratione digna commemorãt, quæ intempeſtiue hic adferrentur.

d Ab Ariſt. videlicet 1. lib. de hiſtoria animalium.

e Hæc latius, et dilucidius explicata vide apud Baſil. et Volaterr. li. 25. et alios recentior. & Guilielm. Ron

ctè diximus AQVAE in plurali numero, vt producerent piſces: omnes enim pro naturæ proprietate, quam ex loco, et climate, ex influentiaq. cæli náciſcentur, ſuos piſces procreabunt. Nec his obſtabit, in lacubus quibuſdam magnorum montium, qui in Auſtralibus regionib. ſunt futuri, nimirum in Atlante prædicto, et in eo quem Peru Cherſoneſſum ipſi idem vocabunt, piſces nullius generis procreari, quia hoc aliũde quam ab aquæ natura proueniet: ac etiam, vt fieri poſſe quis hominum poterit exiſtimare, a nimia quæ inerit lacubus illis frigiditate. Nam in mari hominibus Baltico appellando, ſub vrſa, quod aient; quod ob frigoris nimiam aſperitatem maxima anni parte concretum in glaciem erit, magnam gigni multitudinem piſcium certũ erit, qui in vſus plurimos quam vt edantur, ab hominib. incolis abſumentur. Ac rurſum, in locis denique aliis frigidiſſimis multorum generum piſces reperientur: quamobrem non erit hominibus cauſſam inuenire, cur piſces, qui natura frigidi ſunt, melius gignantur, atque ſeruentur in aquis feruidis, quam in frigidis. Sed hæc, et ſimilia noſtræ arcanæ, ac diuinæ ſcientiæ reſeruamus. Poterunt autem, ſi coniecturis in hac re niti voluerint, dicere cauſſam, cur in Oceano glaciali, et in lacu aliquo [a] piſces tam multi, et varii generis gignantur, et nutriantur, hanc eſſe; quod vtrobiq. terra, aut fundum bituminoſum erit, et proinde calidum, et pingue. At vero quia in lacubus Auſtralibus fundum bituminoſum minime erit, ideo dici ab eis poterit, piſces in eis non gigni. Tamen relictis talib. et aliis coniecturis huiuſmodi, huius rei cauſſa occultiſſima ipſis erit ſane, vt erunt quoque multarum rerum cauſſæ mortalibus hominibus ſemper abditiſſimę. Reptile igitur diximus vt producant aquæ, futuro idiomate hominum primo, hoc noſtrum opus

deletius lib. 1. de piſcib. perdocte, copioſeq. proſequitur piſciũ plures quam quinq. differentias; ſcilicet a vita, a conſuetudine viuendi, a loco, videlicet a mari, lacub. fluminibus, a ſtagnis marinis, a paludibus, a loco extra aquas, ut sũt crocodilus, cordilus, &c. & piſces foßiles ab alimẽtorũ varietate; quæ omnia vide loco citato.

[a] In lacu qui dicitur Albus, in Boryſthene, ſeu Achillea. i. Achillis inſula Ponti Euxini vltra Moſcouitas, & aliis in locis.

opus quod in aquis effecimus, pronuntiantes; quo Hebræa locutione ea quæ ſpecie ſeiuncta fuerint, ſingulari generis voce, vno veluti faſce, complecti ſolebunt. Sic etiam ſtatim volatile, pro volatilia fieri dicemus: vt hic reptile, pro reptilia dicimus. Ea autem reptilia dicuntur, quæ ita ſe loco dimouebunt, vt ventre, vel alia corporis parte a pedibus ſeſe proripiant; ſiue illos habeant, ſiue non. Nonnulli quidem vermes ore repent, ſerpentes ventre, et coſtis, piſces pinnulis, inſecta quædam anulis: lacerta, crocodilus, ſtellio, cancri, ventre, et pedibus; quod huiuſmodi pedes ſint habitura graciliores, quam vt totam molem abſque ventris auxilio mouere loco poſſint. Quamobrem et cum pauore gradientur, vt mirum hominibus non ſit, Reptilia ipſis prima, hoc eſt, Hebræa lingua dicta fuiſſe, a pauore: licet non omnia in vniuerſum, ſed permulta: eo quod quædam animalia, quæ crocodilos vocabunt, futura ſunt, quæ non ſemper cum pauore progredientur, et firmiores habebunt pedes; cum aliquando videbuntur citiſſime currere, longioraque itinera (a fluuiô. ſ.hominib. Nilo nuncupando, in quo viuent) ocyus conficere, quam credi poſſit: vnde ſtrenue proſequentur fugientes, et celeriter aufugient perſequentes. Hoc itaque erit in cauſſa, cur natatilia appellauerimus generatim reptilia: quod etſi eorum quædam pedibus in fundo maris progredientur; multo plures tamen, ventre, branchiis, et pinnulis adnitentur, ac ſeſe proripient: et illa, quæ in fundo gradientur, cum in alto aquarum fuerint, ita natabunt, vt repere videantur. Ex aquis igitur dumtaxat, tamquam ex materia præcipua, non tamquam ex efficiente dico ego opifex hodie, vt progignantur, et promoueantur piſces.

 Nam

Nam etſi [a] alicubi,longo maris a terra receſſu, piſces, et conchas congeſtas, atq. in terra concretas, cum lapidib. et marmoribus reperiri ab hominibus contigerit: intelligendum prorſus eis erit,aquas illis in locis,vel alicuius generalis totius orbis inundationis [b] tempore, vel arcana alia noſtra ratione extitiſſe:hoc enim hominum diſputationi relinquimus. Qua ducti coniectura, non abs re poterunt aliqui exiſtimare,aliquam partem [c] terræ, quã aliquando conſpicuam videbunt, olim, hoc eſt,hoc initio, fuiſſe [d] mare; cum in eius montium fodinis inuenient conchilia: longa enim rerum, et temporum viciſſitudo hæc,et id genus plura ſolebit efferre. Ex aquis ergo reptilia hæc ſentientis,ſeu viuentis; halantis, ſeu ſpirantis animæ pullulare præcipimus. Halitũ enim habebunt piſces, et [e] ſpirabunt,quamquam pulmone [f] careant: poterunt namq. et branchiis [g] attrahere aerem,et emittere; et certa habebunt viſcera,quæ pulmonis officio fungantur: et deniq. alii habebunt nõnulla anguſta foramina ad reſpirandum. ſpirabunt ergo,licet nec omnes,nec ita frequenter vti cetera producẽda animalia, quod frigidiores erũt. Quare qui calidiores inter illos erunt,et affluentiorẽ ſanguinem habebunt, halent ſæpius quam alii: et ſi reſpirabunt, certe etiam audient, et olfacient, et omnes ſenſus habebunt,ſaltim piſces perfecti.etenim qui mugil eis dicetur, certe,et quem lupum vocabunt, et ſalpam, thunnumq. dicent,egregie [h] audient: et permulti piſces præterea dormient,et priuſquam eſcam appetant,odorabũt: quod in cauſſa eſſe videri hominibus debebit, cur non omnes vna eſca ab eis, ſed multiplici,et varia capientur. Quod ſi omnes ſenſus piſces perfecti habituri ſunt,exiſtimationem etiam, et memoriam eos habere [i] oportebit, ſecũdum veram Philoſophiam.Etſi tamen piſces in vniuer-

[a] Vt in quibuſdã mõtib. agri Veronenſ.et in montib. Calabriæ, vt ait Alexãder Neapolitan. lib.5.genialium dier.cap.9.

[b] Noatici ſcilicet, vt vult Paul.Oroſius.

[c] Aegyptũ videlicet.

[d] Plutarc.in Iſide,et Oſir.et Olimpiodor.1.Meteor.

[e] Ita Plato in fine Timæ.Gale.de vſu partiũ, Plin. lib.9.cap.7.

[f] Ariſt.de ſenſu, & ſenſili.

[g] Galen. vbi ſupra,et Plin. Ariſt. 4.lib.de hiſto.animalium.

[h] Ita Galen.Plin. Alber. ac noſtrates piſcatores hæc omnia vſu, et experientia confirmant ſe didiciſſe.

[i] Contra Plutar. & Baſil.in opere ſex dier.de humanitate,domeſticitate,ingenio,cõſue-

uerſum non carebunt memoria,et æſtimatione; erunt tamen obtuſiores,et craſſiores terreſtribus,et aereis animalib. ob exuberantem,ſcilicet,humiditatem,et craſſitiem, quæ in eis vim ingenii, et acrimoniam obtundet: magis tamen,vel minus,iuxta vniuſcuiuſq. conſtitutionem: vt ipſis etiam hominibus vſu continget. Nec enim quia elementum totum frigidum,et humidum eſt, exiſtimandũ hominib. erit propterea,piſces frigidos et humidos æqualiter omnes futuros eſſe:inæqualis enim erit eorum conſtitutio,et claſſis.Quare quidam eorum ſaxeis tegumẽtis operientur,vt qui iis nominibus inſignientur,conche videlicet,oſtreæ,turbinata,pectines,teſtudines,limaces,ſiue maluerint,cochleæ marinæ,et ſimiles, quæ vna claſſe cõprehendi poterunt. Quidam vero cruſtis,quemadmodũ qui dicentur cancri,locuſtæ,gammari.Alii coriis,et pilis; in quibus ſupradictus vitulus marinus,et quem hippopotamum dicent,et quem cetum vocabunt,dinumerabuntur.Alii cute duriori,et nonnulli molliore:quidam ſquamis. Rurſum multos videbunt armatos ſpinis, aculeis, ſenis dentibus,aut etiam ingenti mole: et alios inermes, qui ſola celeritate, et fuga ſibi ſalutem parabunt. Et hæc eſt ratio,cur nonnulli incedent ſoli, alii gregatim, et turmatim; qui et gregales dicentur. Non ſunt itaque vnius conſtitutionis futuri omnes.Et ideo quidam ſalubriores, vel minus ſalubres aliis erunt; quod et eorum victus in cauſſa erit.Veſcentur enim quidam eorum limo, alii alga, nonnulli muſcho,ſiue lanugine arborum, quæ in locis humidis adnaſcetur:ceteri piſcibus minoribus,et aliis obſoniis quæ ſors obtulerit. An vero ſola aqua nutriri poſſint, parum nũc refert hominib. explicationẽ [a] relinquere. Satius vero illis tandem erit,hoc noſtro opere,piſcium videlicet ex aquis productione, mirum in modũ noſtram

tudine, et ſocietate piſciũ, videlicet delphinor. muranar. vide Hieron. Vielmium de ſex dieb. conditi orb. lect. 22. pag. 260. Cælium Rhodigi. lib. 18. lection. antiquar. Aug. 3. ſuper Geneſ. Pliniũ lib. 9. Ariſt. lib. 6. de hiſto. animal.

a *Rondeletius putat, Cardanus negat.*

noſtram tamquam ſummi opificis infinitam ſapiētiam ſplendere: adeo vt hinc ſicut ex aliis noſtris operib. opificii orbis hactenus a nobis effectis, et explicatis, cuius futurorum hominum liceat maxime, Maieſtatem noſtrā adorare, ac omnipotentiam laudare, et admirari.

ET VOLATILE SVPER TERRAM SVB FIRMAMENTO CAELI. Ab aquis ad aerem, id eſt, a piſcibus ad aues, veluti ab imperfectiorib. ad perfectiora animalia, illis ex aqua productis; ſtatim opifex conſcendens (ſunt enim membra auium inuicem magis diſtincta, quam piſcium: quo ſatis demonſtratur eas eſſe perfectiores) eodem mandato practico, et effectiuo rei demandatæ, quo vt ex aquis piſces producerentur, præcepit: iuſſit etiam vt et aues volarent ſuper terram (bifidum enim mandatum hoc Dei fuit) dicens: Et [a] volatile volet, ſeu volabit ſuper terram. Quæ profecto aues, hodie ex quatuor elemētis, ſicut et reliqua omnia mixta, volumus vt compactæ, et effectæ ſint a nobis: ob quam rem poſtmodum eas formatas fuiſſe ex humo, hominib. explicabitur. Et in eis, ſicut et in pluribus mixtis, terra, et aqua ſecundum quantitatem prædominabuntur: et cum primis terra, quod certe earum grauitas, opacitas, terminatio, et ſenſibilitas manifeſte probabūt. Nec enim vel ſolum ſiccum, vel ſolum humidum terminatiuum eſt; ſed [b] vtrūq. ſimul. At vero in eis aer virtute ſuperabit cetera elemēta; aer enim, et ignis ſecundum virtutem potiores partes in mixtis habebunt, diſſimiliter tamen et magis et minus; quod hæc elementa minus craſſa ſint, et actuoſiora. Ob quam rationem aues aereæ dicētur, quinimmo et [c] cœleſtes: et cenſebitur hoc elemētum earum locus naturalis: in eo enim, eo quod cum earum natura magnam conſenſionem habiturum eſt, mouebuntur, verſabuntur, et quie-

a Sic oēs Doctores recentiores ex Hebræa veritate textum hunc Latinis hominib. reddiderunt integrum. vnde in noſtra editione vulg. et in omnib. antiquis ſanctorum Doctorum deeſt verbum, volet, vel volabit. cuius defectu putarunt oēs fere antiqui Græci, et Latini, & S. T. (vt videtur) 1. p. q. 71. aues factas eſſe ex aqua: quod non eſt verum. vnde dicebāt huic ſentētiæ, Et volatile ſuper terram; ſubaudiri debere, Producant aquæ uolatile etc. quod quidem non oportet, cum aues ex aqua non ſint productæ.

b Ariſtot. 4. Meteor. 29.

c Pſal. 8.

quieſcent.Mouebuntur,inquam,non motu,qui corporis conſtitutionem,et pondus ſequetur: ſic enim ad terram ferentur,ſed motu animali,qui fiet apprehenſione, et appetitu boni conuenientis, et ad omnes loci differentias, et poſitiones: quo fiet vt laborent in volando,ac defatigentur longæuo motu; propterea nos ſapientiſſime eas bipedes fore volumus, non quadrupedes, ne tot oneribus grauētur: roſtro,vnguibusq. armabimus,vt his commode ſibi alimenta et [a] venari poſſint,et ſuos hoſtes ſuperare; quietem pedibus capere:quæ tamē organa leuiora dentibus,et maxillis,ac animalium ceterorum vngulis erunt.ditabimus deniq. plumis,pinnis,et aliis,quibus cōmode tollentur in altum, et aerem ſecabunt, et permeabunt.quam etiam ob cauſſam eas volumus veſſica carere. Donabimus inſuper omnibus ſenſib. et cū primis auditu,et viſu;vt maxime ſibi poſſint ab aucupantium inſidiis cauere.vnde et permultæ ingenio, hoc eſt, æſtimatiuæ acumine,et memoria pollebūt,et diſciplinabiles ſunt futuræ; etſi nō omnes.Eximentur enim ab hac claſſe quę ex putri gignentur,quæ et memoriam non habebunt, et fere omnes auditu carebunt:atque ideo aliæ aues futuræ ſunt adeo natura ingenio vigētes,vt inſtitutione, et aſſuefactione,humanę vocis ſonos,et verba ſic aſſequentur,vt magnos quoq. ingenio viros fallere dicentur. In quibus ſane eminebunt certa quædam animalia, ab hominibus ſequentibus nominibus appellanda,et inſignienda; videlicet montanus, pica, merula, et turdus mediocriter, et omnium princeps pſittacus: vnde et latiorem iſtæ aues linguam habebunt.Quare iis minime obſtantib. nō alienum hominibus a ratione videri debebit,aues ſolertia,et acumine ingenii nequaquam quadrupedibus generatim præſtare.Etenim prodigioſa quædam futura ſunt,quę de qui-

[a] *Ita Demetrius Conſtantinopolit. de cura accipitrū, lib. 1.*

quibuſdā animalib. quæ elephantes homines vocabunt, et quæ ſimias dicēt,et equos appellabunt, multorum experientia [a] conſtabit. Superabunt enim (vt hominibus videbitur) ſtudioſam illam, et felicē humani ſermonis imitationem, quam in auibus cōſpicient. Porro autem, præter omnibus hominib. perſpicienda, et cognoſcenda beneficia, quæ homines capient ex auib. hoc quoq. erit nō poſtremum exiſtimandum a viris doctis, propter quod etiam nos aues produximus, vt poſſent ſuper terram per aerem volare; quod permultæ illarum, tum aquatiles, tū vero terreſtres, garritu, et volatu, imminentes hominibus aeris, marisq. vel ſerenitatem, vel tempeſtatem, tāquam mei ipſius internūtiæ, veluti indice ſignificabunt. Sic quē gallum nuncupabunt, aeris mutationem; et quem coruū dicent, quæ futura bella, dicentur præſentire: quinimmo et aeris infectionem generatim præſentient; vnde videbunt alicubi aſſuetas commigrare tunc temporis [b] alibi. quod profecto augurium, atq. aruſpicium erit, quod naturale homines qui optimi Philoſophi extiterint, appellabunt, veraq. religio non reprobabit. Nam agricolæ terram colentes, nautæ maria peragrantes, et artifices, et itinerantes eo admonebūtur, quid deliberare eos oporteat, modo ſaluti, et propriis commodis velint conſulere. At vero ſuperſtitioſa alia hominum qui infideles fuerint, auguria, et aruſpicia, quæ in publicis, et in priuatis ineundis officiis, ab auium numero, poſitione, volatu, garritu, et gemitu capient, et artificiata vocabuntur; omnino ab hominibus tamquam illicita fugienda erunt. Vanum enim, et delirum hominū infidelium commentum erunt, atq. tāquam cacodæmonum artificium. Ob iſta ergo, et alia erga homines beneficia, et elementi aeris decorem, diximus hodie aues a nobis productas vt volent in aere; per

actum

[a] *De his Solinus, Plin. Ariſt. Albertus Magn.*

[b] *De his Ariſtot. lib. 9. de hiſt. animal. cap. 1. & 31. & 2. cæli, tex. 10. Cicero lib. 1. de diuinat.*

actum ſcilicet explicantes facultatem; id eſt, vt volare poſſint ita in aere ſuper terram, vt tamẽ ſupremam aeris regionem nũquam attingant; quinimmo nec etiam mediam earum cõplures. Et hoc, SVB FIRMAMENTO CAELI, ſuper cęli videlicet alteram ſuperficiem, hoc eſt concauam, quæ hominibus patebit, eminebitq. in qua aues ferri cõſpicientur, et quæ inferior pars totius firmamenti, videlicet elementum aeris eſt, vt in opere ſecundi dici expoſitum eſt. In quo ita aues volabunt ſuper extenſione iſta partiali cæli (vt ita propter homines dicamus) ſcilicet aere, vt ſuper partem eius aliquam ſemper ferantur. Vt intelligant homines, volucres non eſſe inter terreſtria animalia ſimpliciter computandas: cum, vt volucres ſunt, nos illis locum ſuper aerem, et in aere aſſignauimus.

CREAVITQVE DEVS CETE GRANDIA. Inter reptilia autem, et piſces, quos Deus ex aquis progenuit, et promouit, quos ab æterno, ſicut et omnes creaturas alias, iuſſit fieri, et in tempore executioni ſuam iuſſionem mãdauit; iuſſit fieri, et produci cete vaſta, et immania: et nunc primum hodierna die executus fuit, et formauit, effecitq. non ex nihilo, ſed ex aquis, vaſtiſſimos piſces, aquatilia animalia, et belluas vaſtiſſimas, et immanes: vaſtiſſimum namq. cum ſit elementum aquæ, vaſtiſſimas belluas debuit continere, et exhibere. ſic enim humoris exuberantia in terreſtribus animalibus vaſta corpora efficere ſolet; vti in bobus, vulturibus, et elephantib. ac rhinocerontib. qui vaſtitati, et magnitudini duorum boum pręſtant in corporea magnitudine. Pariter ergo in mari, ex eadem cauſſa materiali, ſcaturiere virtute ſummi opificis agentis, iſti ceti pergrandes, orcæ, piſtres, thynni, vituli, delphini, ballenæ, et his ſimiles. qui omnes natura carti-

Ceti nomine quiuis piſcis immanis intelligitur, maxime qui animal concipiunt, & non ex ouo fetum pariũt. vide Ariſt. 1. de hiſtor. anim. cap. 5. & lib. 3. cap. 20. & Gale. lib. 3. de animaliũ facultat. et Guil. Rondelet. lib. 13. de piſcibus, cap. 12. de lamia, poſt mediũ: adeo vt referente Plin. lib. 33. cap. 1. viſi ſint in Arabiæ flumine magnitudinis ſexcẽtor. pedũ, et latitudinis 360. & Theodoret. hic ait eos, ſi quãdo in ſummos fluctus natarint, inſularũ ſpeciem exhibere.

cartilaginei ſunt,hoc eſt,abſque ſpinis,et ſquamis:ſed tamen generatim multo abundant ſanguine, ſpirantq. et ſenſu magnopere prꝑſtant.quorum piſcatores cetarii dicti ſunt. Et quoniam cete iſta grādia,vti terreſtres dracones veneno, et eorum aliqui truculento halitu, et oculis virulentis, terreſtrium animalium lues ſunt, vt proinde ab eis cetera longius aufugiant; ita ceti ſua ingluuie, et voracitate perditio ſunt,et cōſumptio ceterorum piſciū, (quamobrem opifex ſummus prouidit ſua ineffabili ſapientia,vt minus fecundi [a] animalibus,ac piſcibus paruis ſint)ideo dracones cete iſta licebit appellare.Quid quod et piſtres ſua figura in longitudine,et forma dracones referunt? Sunt item quoq. veri dracones in aquis exiſtētes, in quibus et quidam ſunt cetero quidem corpore vti reliqui piſces, ſed oculis tamē,et capite non diſsimiles terreſtribus draconibus: qui et ſquamis prædurís quibus teguntur, atq. aculeis cum tangunt, venenum quo infecti ſunt,linquant:in quibus enumerantur ſcorpii,paſtinacæ, torpedines, ac præ ceteris lepus; quem ſolo tactu male afficere dicunt.Si igitur,viri Iſraelitæ,Deus grādiores hos piſces,ac magis inſignes creauit vti verbo Dei;de hoc certiores vos reddo; conſtantiſsimum proculdubio vobis erit,ipſum quoq. minores creaſſe.Sed o [b] Deum immortalem, noſtro vſui, et commoditati quantum beneficii hoc genere præſtas! quo intelligamus, fratres mei, creatos fuiſſe a ſummo opifice Deo aliquos piſces ad noſtrū timorem,noxios videlicet; alios autem ad noſtrum ſtuporem, cetos videlicet: vaſtiſsimæ enim belluæ quas cōmemorauimus,rapiunt homines in admirationem quādam inſignem,ac ſtuporem potentiæ, et ſapientiæ [c] Dei. quod non exiguū eſt,et beneficium vulgare.Quare oportuit vobis hæc portētoſa aquatilia animalia commemorare

[a] *Ariſt. de gener. animal. cap. 8.*

[b] *Sic meditatur Baſil. eleganter iſta proſequens.*

[c] *Vt patet Iob 41. ſub nomine Leuiatan.*

rare, et vt magis deceat ſapientiſſimum opificem laudare, et vt ea nō ex materię neceſſitate prodiiſſe, falſo [a] exiſtimetis: ſed ex Dei conſultiſſima intentione, et voluntate.

a *Ita quidā, teste Caiet. errantes dixerunt.*

ET OMNEM ANIMAM VIVENTEM, ATQVE MOTABILEM, QVAM PRODVXERANT AQVAE IN SPECIES SVAS: ET OMNE VOLATILE SECVNDVM GENVS SVVM. Non ſolum autem cete iſta grandia, et piſces vaſtiſſimos formauit opifex, verū etiam et omne animal quod viuit, et in aquis reptat, hoc eſt, de loco ad locum migrat: quod Deus, et aqua non ſane ſicut ſol, et homo gignunt; ſed ſicut efficiens, et materia, ſecundum omnes ſuas, id eſt, piſciū ſpecies produxerant: ac etiam produxit ex quatuor elementis omne animal alatum, ſiue pennatum, vt volare poſſet in aere: alę namq. et pennæ, quę alitum organa, et membra ad volandum eis inſeruiunt, notiſſima nobis ſunt, quātum ad eorum functionē ſpectat: quæ tamen non vſq. adeo nobis in piſcibus patent, ſunt enim minus diſtincta: omnia tamen iſta animalia volatilia, iuxta quod vniuſcuiuſq. ſpecies exigebat, totum id ab opifice ſunt ſortita. vnde nec illis quidquam defuit, nec aliquid quod ſuperuacaneum eſſet, Creator adiecit. Sed omnes haſce creaturas integras, abſolutasq. facultatibus ſenſitiuis, et organis, ita formauit, vt nec Momus [b] ipſe, quem gentes inuidum cēſorem omnium fingunt, etiam ſi eſſet, aliquando poſſet opificem accuſare.

b *Deus eſt quidā genitus ex nocte matre, & ſomnio patre.*

ET VIDIT DEVS QVOD ESSET BONVM. Et expetiuit, atq. examinauit, perſpexitq. ſummus opifex hoc ſuum opus, quod hac die effecerat; et vidit eſſe optimum, atq. præſtantiſſimum, ſuoq. inſtituto maxime accommodatum, et præclara laude ipſius ſummi opificis

vtrumq. ſane opus huius diei dignum. Eſt enim præſtantiſſimum vtrumque, videlicet productio piſcium, et formatio volucrum; et iucundum, et magno nobis adiumento (modo ratione vtamur) ad tranſigendam commode vitam noſtram.

BENEDIXITQVE EIS DICENS: CRESCITE ET MVLTIPLICAMINI, ET REPLETE AQVAS MARIS. Et quemadmodum hæc animalia aquatilia, et volatilia dicendo fecit Deus, cuius dicere res omnes facit; ita etiam benedicendo auxit (eius enim benedictio incrementum eſt creaturæ in maiorem prouentum) et promouit, noua quadam beneficentia; ac prioris exhibiti beneficii auctione, et incremento eis benefecit, et prius beneficium auxit. Cum enim piſcibus, ac volucribus dediſſet eſſe, et vitam; nunc vim procreandi, et ob id perennitatem veluti quandam, et immortalitatem munificentiſſime ſuperaddidit: ita vt eius [a] benedictione id effeciſſe, vt animalia fetus ſibi ſimiles procreare cum poſſint, tum etiam appetant, intelligamus. Et hæc ipſa Dei benedictio (vt non incongrue dicam) fuit quæ ſemini vim illam formatricem indidit, quam Philoſophi Diuinum quidpiam, et merito nuncuparunt. Eſt enim in ſemine Diuinus quidam veluti artifex; qui corpora fingit, et veluti depingens efformat, atque viuificat: ob idque optime dici ſolet, omnes animas potentia eſſe in ſemine, vna rationali anima excepta, quæ de foris venit, et a Deo inſpiratur; vt in ſequentibus dicemus. Itaque Dei beneficentia hac noua, nulla piſcium ſpecies deſitura aliquando eſt: quod piſcium genus mundo futurum ornamento eſt, et vſui hominibus. Quamobrem et congenitam vim hanc procreandi piſces habent, (conſequitur enim eorum

[a] *Vide hic Vielm. de ſex dieb. cond. orb. lect. 23. vbi explicat loca multa ſacræ Scrip. de ſignific. verbi benedicere.*

Ariſt. 2. de gener. animal. cap. 3.

rum formam, non qua ſenſitiua eſt, ſed qua vegetatiua.) Exponendum ergo modo vobis cenſui, cum paulo antea, tum vero in præſenti, rerum formas, et vires, et pondera, eſſe verbi Dei dona. Quæ enim ratio a voluntate Dei alia afferri poteſt, cur has, et illas rerum formas; hæc, et illa accidentia, et congenitæ qualitates conſequantur? nulla alia ſane. Nouum igitur hoc beneficium his animalibus a ſe productis; ſe ipſa in perpetuum conſeruandi, ſummus opifex tribuit hoc ipſo die, dicens: Creſcite, et multiplicamini. Non quod priora iſta veſtra indiuidua vtriuſque ſexus, quæ primum omnium, hac prima rerum geneſi, me iubente, prodierunt in lucem, non ſint hoc initio ſui eſſe, ſtatura, et corporis robore integra, et perfecta; ac proinde ad eorum incrementum ſecundum quantitatem continuam augeantur, (creſcent enim corpora omnia, et adoleſcent vſque ad certam, et determinatam ſtaturam; quinimmo et reliqua omnia) benedicendo eis, dixerim, vt creſcant, et vt multiplicentur ſecũdum quantitatem diſcretam. dixerim vero: Multiplicamini, ſcilicet, ad prolificationem, et numerum ſobolis: non (inquam) ita eſt: indubie enim hominibus fatendum erit, primis iis rerum indiuiduis ſpecierum, nil defuiſſe, cum primum modo ſubſtiterunt, quod ad eorum integritatem faceret; et ea corporis firmitate, et magnitudine ſingula nunc fuiſſe creata, quam eorum robuſtiſſimus annus quouis tempore ferre ſolebit. Qui quidem vt in homine erit triceſimus,[a] et in pecudibus tertius; ita aliis animalibus alius erit. Quapropter intelligendum hominibus erit, me verbis iſtis meæ munificæ benedictionis, practico, ac operatiuo meo mandato, iis animalibus ita præcepiſſe, ſcilicet, fructificate, et fructus edite

Ariſt. 2. de anim. tex. 41.

[a] *Teſte* D. Hiero. *in Eſai. cap. 15.*

veſtri generis,et multiplicate,et augeſcite veſtri nimirum generis ſobolem, ac per omnia vobis ſimilē. Sunt igitur iam animalia hæc creata perfecta,et dare operā procreationi cōfeſtim poſſunt; quod fuiſſe nunc verum,minime dubitandum hominib. erit: et ſic mea hac benedictione facultatem potius,quam actum inſinuaui me his animalibus a tribuere,quaſi hoc modo eis dicerem:nedum vos hoc munere præſenti donó, vt fructus vobis ſimiles edatis; ſed etiam,quo mea benedictio in vobis largior oſtendatur,vt cumulate, ac largiter fructificetis, fetus veſtros multiplicando:quo ſatis hominib. procreandis poſtmodum a me, fiat compertiſſimum, in priorib. iis animantium indiuiduis,poſteriora quę ex eis ſubinde prodierint, me patenter etiam eſſe cōplexum, ac mea benedictione his tēporis initiis fecundaſſe non ſolum iſta,verum etiam futura omnia, et in honeſtam Venerem ferme excitaſſe: atq. ideo naturaliſsimum omnium operum viuentibus eſſe b generare ſibi ſimile voluiſſe.Atq. adeo poteſtatem hanc ſobolem propagandi iis animalibus ego opifex fecundaui,et in tanto numero volui ea ſecūdum ſuas ſpecies augeri, vt non ſolum vnum mare,ſiue aquam vnius maris piſcib. vt ſuis fructib. replerent,aſſignauerim, verū etiam omnia: ſicq. non vnum dumtaxat piſcibus ex iſta propagatione repletū eſt,ſed omnia;omnes,ſcilicet,aquę in maribus diuiſæ,hoc eſt,amnium quoq. et lacuum,deniq. et quæ ſalſæ futurę ſunt,et quæ dulces.Etenim hominibus ex a me effectis iā ſuperiori die,videlicet tertio; atq. illis primo,vernaculo c ſermone vſu receptiſſimum erit, cōgregationes aquarum appellari maria. Noſtram ergo benedictionem extendimus,et amplificauimus luculentius, præcipiendo,vt replerent piſces aquas marium,ſiue in d maribus diuiſas; quam ſi præcepiſſemus tantum, vt reple-

a *Hoc infra latius explicabitur.*

b *Vti docet Ariſt. de anim. 2. tex. 36.*

c *Hoc eſt, Hebræo idiomate.*

d *Sic legitur Hebraice ſecundum gloſſ.*

replerent aquas vnius maris; quaſi diceremus: nulla ſit aquarum confluentia, quæ ſuæ relicta naturæ piſces non habeat. quapropter et intra mõtes, ac terræ viſcera, quod aquæ cæcæ, craſſæ, ac abditæ ſint, alicubi et inibi [a] piſces, quos foſſiles appellabũt Philoſophi, reperiri, ex ſuperioribus a nobis factis iam conſtare hominib. poterit, cum de congregationib. aquarum verbum noſtrum explicabamus. Quid, quod et in feruentiſſimis balneis, et paludibus etiam piſces viuent, et [b] procreabuntur? Quo manifeſtiſſimum fiet hominibus hoc noſtrum verbum, quo ingẽtem procreandi locum, videlicet congregationes omnes aquarum piſcibus aſsignauimus. Et cum eadem orationis formula aues quoq. nos benedixiſſe cognoſcent, qua piſces. Etenim et hac ipſa ferme allocuturus ego ſum aperẽdie procreandis hominibus. Conſimili quoq. ratione ſuum locum auibus, alium ſcilicet a piſcibus, ac diuerſum aſsignabimus, in quo ſobolem alites edant, et nutriant; ſic dicentes.

a Ariſt. et alii, maxime Guiliel. Rondelet. lib. 1. de piſcib. id docent.

b Vt in Apponi balneis calidiſsimis viſuntur piſces, et vermes: & teſte Aelian. viuunt piſces in feruenti palude quæ eſt in Africa; ac etiã teſte Plin. in aquis calidis prope Piſas.

AVESQVE MVLTIPLICENTVR SVPER TERRAM. Ac etiam ſimiliter volumus, vt aues fructus plurimos edant, et augeantur: ſed tamen multiplicẽtur ſuper terram, ſiue in terra. Eſt enim in illis ſexus diſcrimen, vt et in piſcib. qui etſi ouiperi vt plurimum ſint futuri, eorum tamen aliquot viuiperi erunt: vnde nec terra indigebunt omnes, vt in ea feliciter ſuos fetus edant. Quã ob cauſſam nulla terræ in eorum benedictione mentio facta eſt: niſi tantum dictum eſt, vt repleant aquas maris. Aues autem omnes ouiperæ ſunt (vno, quem nicticoracem, vel veſpertilionem vocabunt, dumtaxat excepto: qui ſolus viuiperus erit, dentibusq. armatus; ac ſolus carebit plumis, et pennis; vt merito auis, et non auis [c] dici poſsit) et ideo vel terra, vel iis quæ terræ infixa ſunt, vide-

c Sic dicitur a Platone 5. de Repub. in quodã ænigm.

licer arboribus, rubetis, ſentibus, ac domib. indigebunt, in quibus nidos conſtruant, oua pariant, foueant, et pullos tantiſper alant, quoad ſibi parare victum adulti poſſint: vt proinde nulli mirum hominum videri debebit, cur eis opifex ſuus tamquam opportunum, et conſentaneum locum terram deſtinauerit, in qua fetus [a] ederent, ac multiplicarentur: et hic fuit a me generalis, ac ordinarius procreandi, et multiplicandi modus auibus, ac piſcibus conſtitutus; et hic generalis, et ordinarius naturæ eorum ſtatus. Ex quo inferri ab hominibus debebit, res illas quæ in natura, aut fortuito, ſeu raro, et præter generalem naturæ modum contingent, et gignentur; huic generali rerum ſtatui, et communi progignendi modo non officere: nullam enim harum rerum in hac geneſi ferme rationem habebunt, præter noſtram voluntatem. Etenim vt Philoſophi homines ab omni arte reiicient quæ raro, vel fortuito cõtingent; ita vnius, vel alterius rei procreatio monſtruoſa generali huic procreandi, et multiplicandi modo aliarũ omnium rerum a nobis ſtatuto hac die, his animalibus præiudicium inferre non debebit, neque huic generali noſtrę benedictioni derogare, quę quidem hominibus cunctis ſemper exponet, quid communiter, hoc eſt, a pluribus fieri a me rerum omnium opifice initio decreuerim. Cauſſam autem incrementi, ac multitudinis piſcium, auium, terreſtrium animalium, ſtirpium, et ſenſilium aliarum rerum; perennem vniuerſi integritatem, ac ſecundam perfectionem, quam hoc modo ſartã et tectam ſeruari voluimus, aſſerẽdam eſſe ſignificamus. Quamobrem natura ſolicita erit, et eo tota incumbet, vt ſeruentur ſpecies, non magnopere de indiuiduis ſolicita. Quo fiet, vt quæ ſempiterna ſunt, videlicet aſtra cæli, et ipſi cæli, et Angeli, ſigillatim omnes vnam conſtituant ſpe-

[a] Vide hoc loco Vielm. de opificio ſex dier. cõd. orb. quæ referat de aue Indica certe pæne incredibilia; & de aue Phœnice quæ vulgo dicũtur, nõ approbat; & de ouificatione ſtruthionis mirãda, attamẽ vera omnia, quæ ab iſta generali regula Creatoris excipiuntur.

ſpeciem, et non multiplicentur in ea; et vt breuioris vitæ animalia, quæ nimirum facile ſunt futura corruptioni obnoxia, ingenti, ac hominibus indicibili numero proſiliant: cuiuſmodi erunt formicæ, apes, muſcæ, culices, lumbrici. Itaque eſſe in magno numero indiuidua ſenſibilia ideo oportebit, vt vel hoc modo certius noſtram æternitatem, quamquam eminus [a] conſequerentur: atq. etiam et gratia hominis a nobis iam iam producendi, qui finis earum [b] erit: ſic enim et ad victum eius, et ad reliqua vitę commoda opportune, et quando ei libuerit, illis vti poſſit. Vt hinc intelligat, mixta ſenſilia gemino modo a me fuiſſe prouiſa; nimirum, vt et ipſa ordinata ad finē quendam ſunt, ac rurſum vt media ſunt quibus aliud quidpiā finē adipiſcatur, ſcilicet homo; quem paulo poſtea ſūm ſtirpium, et animalium dominum effecturus. Quibus videbit etiam, non eſſe in vniuerſum, ac ſimpliciter verum quidquid Diuinæ huius noſtrę benedictionis indulto infernis rebus collatum hoc initio fuit, ſimiliter quoque fuiſſe a me cæleſtibus corporibus, ac ſpiritibus traditum. hæc enim [c] nequaquam vim propagandi, et augendi obtinuerunt. Quare ſententia iſta, quam Philoſophi homines tamquam conſtātem habebunt, ſcilicet, tunc vnumquodq. perfectum fore, [d] cum alterum ſibi ſimilem generare poterit; ad animalia tantum, et plantas reſtringi debebit: quæ tamquam morti obnoxia, hac noſtra benedictione cum primis indigebāt, ſi modo duratura in ſpecie perenniter ſunt. Rebus vero immortalibus, quæ non minus ſempiterna in indiuiduo ſunt, quam cetera queq. in ſpecie; fruſtra data hæc benedictio fuiſſet. Et ideo, non quod illa plus ego amem, hanc acceperunt benedictionem: ſed quia illa, non vero iſta, ea indigebant. Quo fit, vt cum a reſurrectione homines futuri ſint ſempiterni, nec

a *Ita Ariſt. 2. de anim. tex. 35.*

b *2. Phyſi. tex. 26.*

c *Licet oppoſitū quidam exiſtimāt, ſed inaniter.*

d *Ariſt. 4. Meteorolog.*

nubent certe,nec nuptui tradent,ad ſobolem ſuæ ſpeciei propagandam. Fine namq. adepto ceſſat motus.

ET FACTVM EST VESPERE ET MANE DIES QVINTVS. Sic itaq. in producendis iis animalib. tum aquatilibus, tum etiam volatilibus, necnon quoq. amphibiis, inq. illis benedicendis, quibus omnib. elementum aquæ, ac elementum aeris ab opifice ornata fuerunt,tranſactus eſt dies naturalis quintus:facto veſpere eius, ac etiam facto mane, et ſubſecuto alterius diei, ſpatio videlicet viginti quatuor horarum,completa vna tantum circulatione primi mobilis,ſecum rapiētis ſimul ſolem per noſtrum,ac oppoſitum hemiſphærium, a mane huius diei vſq. ad mane ſubſequentis. Qui dies quintus, ſicut et quinarius numerus, nec ſuis caret encomiis: eo enim natura,et res omnes naturales potiſſimum conſtant. Nam et ſenſus animalium quinq. ac etiam animi facultates; quinque etiam digiti in manibus, ac pedibus; quinque cæli zonę,harmoniæ interualla totidem:omnia deniq. quinario numero videntur eſſe facta.

DIXIT QVOQVE DEVS: PRODVCAT TERRA ANIMAM VIVENTEM IN GENERE SVO. Quemadmodum opifex terram tertia die herbis,et arborib. ornauit; tollēs deinde tantiſper manum de tabula, quoad ſole (et fortaſſe vento illo etiā cuius ſupra meminimus)exſiccaretur,ac fieret animalib. quę tunc animo parturiebat,habitatio cōmoda,et iucunda:recēs enim aquis detecta madidior erat,quam vt illorum vſib. eſſet idonea:geminū proinde diem interiecit,in quo hæc quidē exſiccaretur, ipſe vero (ne putaremus interim otio vacaſſe) in cohoneſtādis primum quidē cęlis, confeſtim vero aqua,et aere replendis,et venuſtandis incumberet.Quibus trāſactis,ad ſupremam ei,ſcilicet,terræ

orna-

ornatui manum imponẽdam,hoc eſt,ad eam animalib. et hominibus replẽdam;et locupletandam; nunc deniq. primo mane huius diei,ſextæ ſcilicet,accedit:vt vere dici poſſit,[a] Non in principiis perfecta quæruntur, ſed de initiis ad ea quæ perfecta ſunt,peruenitur.Et hęc eſt ſumma operis huius ſextæ diei, quod vobis explicandum modo aggredior. Quod ſicut poſtremũ extitit,ita etiam omniũ et pulcherrimũ,ac prȩſtantiſſimum,atq. modo,et ordine ſequẽtib. a ſummo opifice perpetratum: videlicet,quod peracto prȩcedentis diei opere,dixit Deus ſuo verbo practico,ac præceptiuo;atq. imperauit hodierna die,Producantur,inquiens, ex terra illa.ſ.quã eminere aquis nudius quartus dixi,animantia viuẽtia,ſiue viuentia quæ halent, et ſpirent;ex terra,inquam,non quod ex ea ſola compingi debeãt;ſed quod precipue ex illa,et quod in ea degere, et alimenta capere debeant: ac tãquam cum qua,animalium tẽperatura magnam habeat conſenſionem.Quibus etiam rationib. piſces iuſſi fuerũt ex aquis a me produci; tantundẽ etiam modo volo ex terra animalia procreari, pro varietate tamen climatum,et regionum. Neq. enim climata omnia conſenſionem habebunt cum omnium animalium naturis,et cõſtitutionib. quare nec vno loco omnia [b] naſcẽtur.Ac ita continẽs pars,quam etiam Aſiã vocabunt,efferatiora;quã autem Europã dicent,fortiora; ea vero, quam Africam appellabũt, multiformia gignet. Ex omni ergo elementi terræ parte aquis eminente, pro climatum diuerſitate;tamquam ex precipuo,dicimus,ac demãdamus modo,vt producantur viuentia,quæ halitũ habeant,ac ſpirent.Etſi enim in toto animalis corpore futura ſit anima diſtributa;reſidebit tamen ea parte corporis quæ principatũ in eo [c] obtinebit: et licet motu,et ſenſu ſe manifeſtabit patenter; halitu tamen,et reſpiratione

[a] *Verba ſunt Bede Actor,17.*

[b] *Sic ſcribũt quidam: & nondũ ſatis perſpectæ cunctorum ſpecies, & formæ ſunt.*

[c] *Ita Ariſt.de iuuẽt.et ſeneƈt. quã partẽ ait eſſe cor, Galen.vero cerebrum.*

hoc patentius aget, ac nobiliori modo: quippe qui non modo ipſam animam, verum et corporis etiam temperaturam, et qualitatem aliquando [a] indicabit. Cum autẽ inæqualia, et diuerſarum ſpecierum iſta animalia ex terra precipue, ac aliis etiam elementis ſint futura; volo vt producantur diuerſorum generum, et ſpecierum: quemadmodum et plantæ, piſces, et volucres diuerſor. generum, et ſpecierum ſunt iam a me productæ.

a Hinc eſt, quendã de alio qui anhelitũ habebat fœtidum, dixiſſe: Fœtet illius anima.

IVMENTA. Quæ omnia animalia, ſcilicet, terreſtria, cum in obſequium, et beneficium hominis ſtatim a me producendi, ſicut et cetera ſint futura; etſi innumerabilia pene eſſe videbuntur ſecundum ſuas ſpecies: tribus tamen claſſibus omnes eorum ſpecies comprehendentur, et ſecernentur. Volo itaq. vt producantur quedã animalia, quæ generatim, et de more homines in ſui obſequium, et iuuamentum [b] iungent; quibus ipſa paſſim, ac generatim operas ſuas exhibebunt. Nec ſolum id, verum etiam quædam eorum ad eſcam, quædam ad miniſteriũ, alia vero ad oblectationem, et iucunditatem, (vt quæ ſimia dicetur) alia autem in medicamenta deſeruient. Ad eſcam quidem, vt quos arietes, boues, et c. vocabunt: ad miniſterium, partim quidem homines, ſarcinasq. eorum dorſo vectando; proſcindendis glebis, nauesq. aduerſo flumine, currus, et rhedas pertrahẽdo; turres bellicas ſuſtinendo, iuuamento hominib. eſſe videbuntur. In quo ordine erunt muli, (qui ex mare, et femella diuerſæ ſpeciei aliquando, veluti naturæ monſtra progignentur: etſi hoc geneſis omnium rerum initio, tamquam minus integritati vniuerſi conuenientes, a me non procreentur, et producantur) equi, aſini, bufali, camelli, dromedarii, boues, elephanti. Partim ſuis eorum coriis, et pellib. hominibus calceos, ocreas, penula, ſuffulturasq. veſtimentorum ad-

b Iumentum enim a iungẽdo dicitur, ex Gellio lib. 20. cap. 1. vel per ſyncopam dicitur, vt ſit quaſi iuuamentum. Vide Vielm. hoc loco referentẽ multa, et pulchra.

uerſus

uerſus hiemis aſperitates, et cæli inclementiam ſuppeditabunt: quod facient agni, martures, mures Pontici, ceruarii, lupi, et alia id genus. Partim ex quibus medicamenta ſibi pro expellendis morbis homines conficient: qualia erunt[a] caſtor, onager propter vngulam, et c. Partim ſuis eorum excubiis illeſas a muribus, et furib. hominum domos ſeruabunt: quemadmodum feles, et canes; quorum tam fida erit erga homines cuſtodia, tãquam amans dominorum adulatio; et tam incredibilis ad inueſtigandum ſagacitas nariũ, et in venando alacritas;[b] vt nil aliud quam ad hominum commoditates generatos eſſe, præ ſe ferre videãtur. Ac prætera vſu omnes probabunt, eos dominum agnoſcere, ſuaq. nomina, ac vocem domeſticam: nec animalibus vllis, præter hominem, maiorem ineſſe[c] memoriam. Et partim deniq. ex quibus cibos, et obſonia ad delicias quoq. ſibi homines parabunt: cuiuſmodi erunt veluti quotidiana, et peruulgata aliqua animalia, vt arietes, boues, et c. et præter hæc caprei, cerui, vrſi, et apri: in quibus voraces, et ingluuioſi homines nullum modum vmquam ſeruabunt. Et ad hæc, ad eorum iucunditatẽ, et oblectationem deſeruient; vti ſimia, pſittacus, pica, et c. Et ſic omnia animalia terreſtria, quæ hominibus in obſequium, et in miniſterium, in eſcam, oblectationem, et medicamenta ſint adiumento futura; prima claſſe, ſcilicet iumentorum comprehendantur: ac etiam illa animalia quæ herbis dumtaxat[d] veſcentur: quæ omnia manſueſcere, ac cicures, vel domeſtica fieri hominib. facile poterunt.

[a] *De iis legant curioſi Dioſcoridem lib. 2. per multa capita.*

[b] *Sunt qui dicant, canes currus in Moſcouia vehere; & Plin. lib. 8. ait.*

[c] *Vt patet ex cane Vlyxis ex Homero: quorum canũ genera, & differẽtias Volaterr. lib. 25. ex Polluce late proſequitur.*

[d] *Hæc ſola iumenter. nomine Oleaſter vult intelligẽda eſſe, Gen. 45.*

REPTILIA. Secundo deinceps ordine, et claſſe ea animalia quæ humi ſerpent, hoc eſt, ita ſe loco mouebunt, vt ventre, vel alia corporis parte a pedibus ſeſe proripiant; ore ſcilicet, vel ventre, vel coſtis: lacerti ſcilicet,

ſtel-

ſtelliones,viperæ,angues, et id genus.comprehendantur. quæ quidem reptilia numquam cicures fient.

ET BESTIAS TERRAE. Ea autem animalia terreſtria vltima connumerabuntur claſſe,quæ feritatem quandam hominibus præ ſe ferent,vnguibusq. ac dentibus ſæuient: qualia futura ſunt leones,tigres, pardi, pantheræ,rhinocerotes,vrſi,lupi,et alia deniq. omnia animalia,quæ carnibus generatim paſcentur: quæ feræ dicētur, necnon etiam belluæ, quia inter ſe iugiter bellabuntur: quamobrem et non niſi in ſiluis,et nemoribus degent.

SECVNDVM SPECIES SVAS. Omnia igitur iſta in vniuerſum animalia volo vt producantur ex terra,ac ceteris elementis in indiuiduo;vnumquodq. autem abſolutum,et perfectum in ſua natura ſpecifica:iuxta quam habeāt quidquid perfectionis poterit eſſe in ſua ſpecie. Prima ſiquidem indiuidua a me hoc initio iam producta,ac reliqua omnia hoc rerum principio producenda, perfectiſſima ſunt, et erunt in omni ſpecie: nec monſtrum aliquod in prima hac rerum geneſi reperiri, Diuinam noſtram ſapientiam, a qua omnia emanare oportet,decuiſſet.

ET FACTVM EST ITA. Et factū eſt hac ſexta die a creatione mundi ita, quemadmodum pro die hac Deus dixerat,hoc eſt,decreuerat ab æterno fieri: ſicq. velox cucurrit per totum terrarum orbem verbum Dei, ac ſicut tunc, ita et nunc quoque, et quoad ſtabit mundus, operatur.

ET FECIT DEVS BESTIAS TERRAE IVXTA SPECIES SVAS, ET IVMENTA ET OMNE REPTILE TERRAE IN GENERE SVO. Et fecit Deus, ac finxit hodie vniuerſorum generū animalium quadrupedum,et terreſtrium,

 pri-

primus ipſe,et ſummus ſolus opifex,hoc eſt,ſe ſolo omnia agentia tam vniuoca ; quam etiam æquiuoca excludēdo, prima indiuidua omnium ſpecierum animalium, mares videlicet,et feminas,non vnū ex altero,ſed vtrūq. ſexum ex terra. Res certe admiratione digna, ideoq. vobis repetenda,et inculcanda : nec duo tantum indiuidua vniuſcuiuſq. ſpeciei,[a] ſed plura ſane.nam nō ſolum hortum in Eden, aut vicinam ei dumtaxat regionem alloquebatur Deus,cum dixit,Producantur ex terra animantia viuētia;ſed totam terram. Ac deinceps,cum eiuſdem generis animalia apud Antipodes reperiantur quæ apud nos ſunt,nec conſonum rationi fieri poſſit,omnia ab hominibus vltro,citroque fuiſſe aducta,aut etiam ipſa tranaſſe pelagus,quod nos ab illis hominibus late diſterminat; ſit compertum, plura quam duo fuiſſe ab opifice initio producta.Tum etiam quia Deus ex pellib. animalium (vt deinceps dicam) Adæ, et Euæ tunicas cōpinxit: quo fit,Deum initio plura indiuidua quam duo eiuſdem ſpeciei edidiſſe: præſertim cum hac eadem die Adamus et fuerit creatus,vt ſtatim dicam; et peccato inobediētiæ ſe commaculauerit, atq. etiam e paradiſo eiectus fuerit, et opertus animalium pellib. Niſi forte quis veſtrum ad miracula,et nouas formationes[b] confugiat: et plures feminas in gregibus, et armentis mūdis effecit Deus quam mares,vt ſpecies citius augerētur: quod videamus vnum marem plures femellas generatim ferme implere:quamuis ſub diluuium plures ſeruati mares fuerint, quam feminæ animalium mundorū,idq. ob ſacrificia.plura iam, et perfectiora animalium ſanguinem habent,ac miris inter ſe differentiis,et proprietatibus diſiuncta. Bos[c] enim conſtans eſt,aſinus piger,equus libidine incēditur,petitq. impetuoſe femellam,lupus miteſcere nequit,vulpes inſi-

diosa

a *Vt tenent Theodoretus, & alii.*

b *Quod vetat Auguſt. prudenter.*

c *Verba ſunt D. Baſilii.*

dioſa,aſtuta,callida; ceruus timidus,canis gratioſus eſt,et ad beneuolentiam, amicitiamq. propenſus, et c. ſingula cum ſua peculiari natura creata ſunt. At vero cetera exanguia, quorum quatuor tantum genera manifeſta [a] ſunt; videlicet cruſtata,teſtata,inſecta,et mollia,vt apes,veſpę, limaces; et inter marina ſepia,locuſta,ac denique omnia quę pluſquam quaternis pedibus innituntur:quibus neq. venæ inſunt,neq. pulmo,neq. hepar,neq. renes,neq. veſſica. Nullam deniq. exiſtimare debetis naturæ præcellentiam inter hos animalium tres ordines, ſcilicet beſtiarũ, iumentorum,et reptilium; hoc eſt, inter ferum, et manſuetum, cum in vtroq. ſint ſpecies perfectiores,et minus perfectæ; ſintq. admirabiles naturæ impetus,et complura Dei dona: quibus probe perſpectis,non poſſimus homines non magnopere Creatorem laudare, et magnas capere vtilitates, et voluptates. Ea autem animãtia terreſtria, quæ ex putri materia tantum naſcuntur, et non ex feminæ,et maris congreſſu gigni poſſunt,hac die prodierunt etiam ab opifice in ſuis dumtaxat principiis,et ſeminariis: quæ et præſeminatam [b] materiam, poſterioresve rationes ſeminales vocare poſſumus:quę nil aliud vtique ſunt,quam rerum qualitates actiuæ,et [c] paſſiuæ.hoc autẽ eſſe veriſſimum,conſtat ex eo,quod hoc genus,ac ferme omnia cum iniuria,et internecione rerum naſcuntur, ex quibus prodeunt:hoc vero vt contigerit quando res ipſę vix prodierant in lucem,abſurdum, et inopinabile reuera vobis videri debet: feciſſet præterea Deus Adamum cum vermibus in inteſtinis, et pediculis, qui ex viuentis hominis carnib. quodammodo humore aliquo putrefactis ſcaturiunt. quod nemo aut ſentire,aut dicere audere debet: ſicut nec etiam aſſerere, huiuſmodi animalia ex corrupta materia orta,oriri fortuito,ac citra naturæ deliberan-

a *Ita docet Ariſt. 1. lib. de hiſto. animal. cap. 4.*

b *Vt Auguſt. 3. de Geneſi ad litteram ait.*

c *Vt Theologi,et S. Tho. 1. p. q. 115. ar. 2. docent.*

berantis conſilium. Etſi enim de certis, et determinatis indiuiduis loquendo, non eſſet hoc omnino [a] improbabile; de ſpeciebus tamen id aſſerere, omnino falſum eſt: a generali enim natura omnes ſpecies intentæ ſunt: nulla enim eſt in vniuerſo, quæ de illius perfectione, ac ordine non ſit. Siquidem niſi extaret, deſiderari poſſet; atq. adeo mundus non eſſet, nec diceretur vniuerſum: cuius oppoſitum maxime vos docere in hac hiſtoria contendo, videlicet Deum ſeipſo et creaſſe, et venuſtaſſe mundũ, omnibus numeris abſolutum, et perfectum. Ac etiam, nulla prætcrea eſt ſpecies rerum in vniuerſo, in qua Dei bonitas, et ſapientia non magnopere eluceat, ſi rectius omnino examinetur. Cum primis vero ſpecies quę deſpicabiliores, et reliquis minutiores eſſe videntur: hę enim ſingulari quodam modo rapiunt nos in ſtuporem inenarrabilis ſapientię Dei. Ex quibus capi ſolent illuſtres, ac ſalutares doctrinæ: adeo vt homines pigros, et in agendis deſides, ad formicam vigilantiſſimam mittere poſſimus. Sed et in apibus, atq. araneis, quãtam, rogo, acrimoniam, quale ſtudium, quantamq. diligentiam conſpicimus? Et denique nulla eſt in [b] natura res, quantumuis vilis, et deſpicabilis appareat, in qua non poſſis Diuinum quidpiam, et admiratione dignum inſpectare. Voluit enim opifex, rerumq. omnium generalis conditor, exiguis iis, et ceteris ſimilibus rebus hunc honorem addere: vt licet omnibus [c] generatim rebus inſit quoddam naturæ ſui generis decus, in his tamẽ exiguis maior ſit admiratio bene conſiderantis, et laus vberior omnipotentis artificis: vt maiore attentione muſcæ volantis agilitatẽ ſtupeamus, quam magnitudinem iumenti gradientis: ampliusq. opera formicarum, quam camellorum opera admiremur. Quis ergo aſſerere audebit, viri Iſraelitæ, ſpecies has omnes, quæ

a Ita tenet Hier. Vielm. de ſex diebus cõd. orb. lect. 24. quæ ſententia mihi multũ placet: aliqua enim indiuidua maxime monſtra fortuito, et citra naturæ primã, et præcipuam intentionẽ oriũtur.

Prouerb. 6.

b Verba ſunt Ariſt. ſaltim in ſentẽtia lib. 1. de partib. animal. cap. 5.

c Verba ſunt Auguſt.

non niſi ex putri materia gigni poſſunt, a generali natura illa ſummi opificis non eſſe intẽtas? ſunt plane. Quapropter non fiunt omnes ex quauis corrupta materia indiſcriminatim: ſed ſingulæ ſuam aptatam, et præparatam ſibi vẽdicant. Quod manifeſtat certe, eas naturæ, atq. adeo intelligentiæ non errantis conſilio, et prouidentia fieri. Neq. enim muſcæ ex quouis fiunt cadauere, ſed ex ſolo humano: ſicut veſpæ, et crabrones ex carnibus equi; et apes ex tauri cadauere [a] gignuntur. Item ranæ, bufones, culices, et quędam vermium genera non niſi ex limo naſcuntur: tinea, et blattæ non ex luto, ſed ex corruptis veſtibus, et coriis: cimices ex lignis, pulices ex puluere. Sunt et alia quæ non niſi ex exhalationib. vini, et aceti [b] fiunt. Sunt et quæ ex herbis, et floribus corruptis. Et horũ quædam ex vno holerũ genere, alia ex [c] alio: adeo vt proinde dicere poſſimus, ex omni re [d] naſci, quod rem ipſam exterminat. Effecit autem opifex horum plura non modo ad ornamentum, et mundi integritatem, ſed etiam ad puniendum hominem propter peccatum: ſicut in plagis Aegypti iam manifeſtauit, vt vobis compertiſſimum eſt: qua ratione et feras nonnullas etiam [e] edidit. Sed et in vtroq. [f] genere inutilia penitus (vt videtur) cõdidit, immo vero formidoloſa: ne temere elatũ mortale genus, pręter modũ ferociret, vt qui cauſſam cur cetera creata eſſent, ſibi vendicaret. In ſuis igitur initiis, et ſeminariis tantum, hodie ea omnia animalia, quæ nõ niſi ex putri oriri poſſunt, ab opifice prodierunt. At vero animalia quæ vtroq. modo gignuntur, concubitu, ſcilicet, maris cum femina, et etiam ex re aliqua putri; ab opifice [g] integra primum, et ſuis abſoluta facultatib. hoc eſt, hodie ſimul cum aliis perfectis animalibus prodierunt. Perfectum enim ſemper antecedit imperfectum, ſimpliciter, et abſolute. Species

a *Vnde a Sophocle apud Suid. taurorum filiæ dicuntur.*

b *Hæc mußiliones vocat Auerro. 12. Metaph. tex. 18.*

c *De quibus late Ariſt. 5. de hiſtor. animal. cap. 5.*

d *Ita auctor imperfecti in Matth. homil. 40. acute ſane.*

e *Vt patet Deut. 17. 1. Reg. 17. Ezechiel. 14.*

f *Ita ſcribit Gennadius.*

g *Ita docet D. Baſil. et D. Ambroſ.*

cies tamen animalium adulterinæ, qualium ſunt, mulus ex congreſſu aſini cum [a] equa, vel equi cum aſina; et ty i-rus; qui hirco ouem ineunte naſcitur: et ſolent aliquando opiliones, ſiue paſtores ouium vtrumq. iungere: et crocuta, [b] quod animal ex lupi cum cane congreſſu procreatur: et thoes, quod concipit panthera [c] cum a lupo initur: et lynx, qui ex lupo cum cerua coeunte: ac formæ, et ſpecies aliæ [d] permultæ: quas adulterinas voco, quod ſolum vel hominum opere, et arte inuectæ in orbem fuerunt; vel ſpontaneis animalium diuerſorum generũ congreſſibus gignuntur; non fuerunt ab opifice primũ procreatę, ſed modo quo diximus, introductæ. Nam etſi animalia hæc, ſcilicet mulus, et c. proculdubio perfecta ſunt, videlicet non vſq. adeo vt alia; tamen quia naturæ quædam monſtra ſunt, non cum ceteris animalib. initio prodierunt. Et quemadmodum ad perfectionem vniuerſi nequaquam quæcumq. ſpecies exiguntur, quæ ſimpliciter poſſibiles ſunt; ſed eæ dumtaxat, quas ſapientia, et voluntas opificis ei decreuerit: poſſet enim his ſimiles longe plures efficere quam effecerit, et alias partes, aliosque bonitatis gradus rebus creatis addere; vt eſt vis eius incõſumptibilis, et quæ numquam exhauriri poteſt: ita etiam ſpecies eæ, et animalia non pertinent ſimpliciter ad perfectionem, et integritatem mundi: quamobrem et infecunda, ac ſterilia eſſe [e] ſolent. Vt enim omnium conſenſione, cauſantur monſtra interdum quidem ſeminis defectu, alias vero redundantia; ſæpe etiam ablatione, vel l m adie-

a Quę cõgreſſum dicitur excogitaſſe Anam, quidã ex pronepotib. Eſau cũ patris ſui Sebeõ paſceret aſinas in deſertos, vt in noua tranſlatione patet Geneſ. 36.

b De quo Ariſto. meminiſſe dicunt.

c Teſte Ruperto Abbate.

d Quas formas, et alias permultas Africa gignit; quæ cũ ſit lata, & ſiticuloſa multum ob aquæ fontium, & amnium inopiã; coguntur cuiuſuis generis animalia vtriuſq. ſexus e lõginquo etiam vbi aquæ ſunt, bibendi cauſa cõgregari frequenter: ac ſolent tunc libidinis æſtu percita, inter ſe cõmiſceri, et nouas animalium formas procreare: vt proinde adagio dicatur; Semper Africa noui aliquid affert; illis. ſ. qui habitãt in Europa, & Aſia: nam incolis Africæ iam pridem formæ illæ ſunt familiares. Sed de his noſtra tempeſtate docte ſcripſit Ioan. Porta quatuor libros, quos de Magia naturali inſcripſit.

e Nã quod dicitur, in Syria, et Phœnicia oẽs mulas concipere, teſte Ariſt. 6. de natur. animal. c. 24. et id contingere ait in Cappadocia Theophraſt. & Ariſt. de gñatione anim. c. 6. ait mulã quandam peperiſſe: hæc omnia vel fabuloſa ſunt, vel alterius gñis mulæ ſunt, vel prodigii loco habenda; vt aiunt Herodotus in Thalia, Sueton. in Galba, Plin. lib. 8. c. 44.

adiectione, ac denique vuluæ inflatione, vel flatuatione, atque aliis modis: ita cum hæc eadem gignuntur infuſione, ac tranſpoſitione ſeminis in alterius ſpeciei vas ab efficiente, peccata ſunt naturæ particularis, et monſtra verius, quam aliud quidpiam. Ob quam cauſam, veluti indecens, cauendum [a] erit vobis, ne iumenta coire faciatis cum alterius generis animantibus. Et ob eandem exiſtimare debetis, iſtas adulterinas ſpecies opificem initio non [b] creaſſe. Et licet ſimpliciter, et ex primaria intentione non ſint ab eo intentæ, etiam pro tempore quo ſunt iſtæ ſpecies in orbem introductæ; et ob id non ſunt ſimpliciter et primario de integritate vniuerſi, et perfectione: ſunt tamen ſecundario à Deo intentæ ad integrã perfectionem vniuerſi. Sicut enim hoc ordine vniuerſi manente qui nunc eſt, de eius eſt integritate, vt quædam neceſſario, alia vero contingenter fiant; ita etiam de mundi integritate erit, et Deum ſeipſo permulta initio effeciſſe, et etiam poſtea, intermediis cælo, homine, ac ceteris animalib: alia quoque nonnulla voluiſſe a ſe fieri. Quo fit, has rerum formas, et ſpecies ſecundum certam, et firmã veritatem, non poſſe in alium, abſque errore, auctorem, quam in Deum referri. alias enim poſſent homines, vel animalia alioquin Dei operibus aliquid addere, et proinde etiam [c] auferre: quod eſt alienum a veritate. Fateri tamen poſſumus, hæc animalia eſſe illis imperfectiora, quę ex congreſſu maris, et feminæ eiuſdem ſpeciei generantur. Non enim (vt rem hanc preſſius explicem) vt animalia dicantur perfecta, ſatis eſt vt non gignantur ex putri, et corrupta materia: ſed requiritur præterea, vt generentur ab vnius, et eiuſdem ſpeciei actiuo, et paſſiuo principio. Quapropter magis rationi cõſentaneum eſt, vt ſic initio ea animalia quæ diuerſarum ſpecierum ſeminib. procre-

antur

a Hoc præcepit Deus Iſraeli, Leuit. 19. ob iſtam puto cauſam videlicet; aliis nõ repudiãdis affert S. T. 1. 2. q. 102.

b Neq. enim improbaſſet in aliis, quod in ſe laudaſſet.

c Contra Eccleſ. cap. 3.

antur,effecerit Deus; quemadmodũ effecit ea quæ ex putri prodeunt,videlicet efficiens earum cauſas, ſemina, ac vires:vt ſubinde ſtatutis temporib. certisq.locis,et ex determinatis materiæ diſpoſitionib. hominum,et animaliũ ceterorum opera naſcerentur,vt diximus.[a]

ET VIDIT DEVS QVOD ESSET BONVM. Quibus omnibus animantibus terreſtrib. ſecundum ſuas ſpecies perfectis, et abſolutis, et a ſe productis, ſummus opifex laudauit ea,tamquam opera manuum ſuarum,et approbauit; et ſuo inſtituto,ſcilicet vt integritatẽ,et perfectionem vniuerſi conſtituerent, et ſimul cum aliis creaturis,maxime eſſe conuenientia pernouit.

ET AIT: FACIAMVS HOMINEM. Quibus ita productis,iam ſummus opifex ad poſtremum ſuum, et abſolutiſſimum opus,ſcilicet hominem producendũ, et creandum, cuius gratia totum ſenſilem mundum hactenus a ſe effectum fecerat, ſe præparabat. quem [b] ideo poſt ſenſiles omnes creaturas in lucẽ prodire iuſſit,quod totius naturæ corporeæ finis eſt,ac earũ omnium vertex, ac princeps.Et cum [c] oporteret tamquam Regi prius Regiam conſtituere;et ita Regem omnib. iam ſibi ſubiectis conſtipatum introducere:nil mirum ſi homo nouiſſime prolatus eſt manu Dei, et eius imagine honoratus, vt dicemus. Rex igitur omnium homo eſt, mundus Regia eius eſt: cuius ille epilogus quidam eſt, et ſumma; ac omnium opificis,et Creatoris ſimulacrum. cui non modo Angeli adminiſtrant,ſed ipſe quoq. eius opifex Deus præcellenti, et indicibili eius amore captus, in ſæculis ſuperuenientib. miro,atq. arcano modo ſalutem æternam pariet.Vt proinde res tãta vos attentiſſimos,et me diligẽtiſſimũ,et accuratiſſimũ emanationis a Deo huius creaturæ tam nobilis enarratorem hic eſſe iubeat.Hac igitur die

a *Ex dictis hactenus habentur ex verbo Dei tria animalium genera; ſpirãtia,et ſentiẽtia,uidelicet aquatilia, aerea, terreſtria. ignea vero vel non ſunt ob actiuitatẽ elementi, vel inutilia nobis omnino niſi ad exercitium virtutis, & luctã,et incrementum meritorũ, ut Paul. ait Epheſ. 6. vel quia abdita nobis ſint,et certa ratione conſtãter veſtigari nõ poſſint: vt propterea huius elemẽti nuſquam in hac rerũ geneſi mentionem ſanctiſſimus Vates fecerit.*

b *Ita Ambroſ. ad Heren. epiſt. 20.*

c *Ita Grego. Nazianze. oratione in nouum Dominicum.*

qua animalia terræ reliqua condita ſunt, homo fuit creatus nimirum quod cognationem cum illis quandam habeat: De terra enim omnia [a] facta ſunt, ſimiliterq. ſpirãt, et in terram pariter reuertuntur: quæ et cõmune eorum domicilium eſt, communis altrix, et nutrix: verum non cum illis, ſed ſeorſum, ac ſeparatim; nec ex eodem glebæ genere, vt dicam vobis poſtea: quod mente, atque adeo animæ [b] immortalitate, arbitrii libertate, et multis aliis eximiis donis, longe illis omnibus, ac multum præcellat, et emineat. Animalia enim hæc Dei imperio, ſicut et cetera quæ ſuperius facta recenſentur, emerſerũt in lucem: homo vero non imperio, ſed eius tamquam conſilio, et cohortatione, dicendo, Faciamus hominem: non oratione imperantis, fiat homo, vel producatur homo; ſed conſulentis, [c] deliberantis, et cohortantis. O quale [d] miraculum, ſol fit, et nullum præcedit conſilium: cælum quoq. cui nil in creaturis ſimile reperitur, et nulla præcedit cohortatio: ad hominis autem conditionem cum conſilio quodammodo Creator vniuerſitatis accedit; ea propter ſane, vt hominis dignitatem, et præſtantiam explicaret: qui ſolus ratione, mente in hoc ſenſili mundo præditus eſſet futurus: et proinde qui deberet ſingulari, et præcellenti quodam modo, conſilio adhibito fieri: atque etiam omnium maxime, vt ſe ſola electione, et arbitrio; nõ vero neceſſitate, aut naturę impetu hominem creaſſe, nobis inſinuaret. Ea namq. ſolum in cõſultationem vocamus, quæ in noſtra ſita ſunt poteſtate; non vero quæ neceſſario nobis imminent, nec quæ certo expedire intelliguntur, ac inſtituto nobis propoſito ſcimus conducere: ſed ea dumtaxat (inquam) quæ ne minus conſentanea propoſito noſtro ſint, officerenq. illi aliquando poſſint, in cõſultationem ſolemus adhibere: et iſta tantum ſolent in ſuſpi-

a *Eccleſ. 3.*

b *Hæc eſt ſententia Aug. in opere imperfecto.*

c *Sic docent Gregor. Nyſſen. D. Chryſoſt. D. Gregor. 9. Moral. D. Cyril. 3. contra Iulianum.*

d *Verba ſunt Gregor. Nyſſe.*

ſuſpicionem venire. Cum [a] vero Deus ſummus opifex antea examinaſſet vniuerſam cauſſam noſtram, hoc eſt, Adæ contumaciam, et caſum, (de quo vobis infra ſum locuturus) et qui ſolus in ſenſili mundo auderet eius leges perfricta fronte, ac temere nimium contemnere: illumq. deinceps ad dolorem, et pænitentiam eſſet adducturus;et proinde tãquam ſubſtitiſſe,ac examinaſſe,num ſuæ gloriæ expediret, ferum hoc, et contumax animal in lucem dare: cum quo veluti ſigna, et manus collaturus poſtmodum,et quidem frequenter eſſet:ac omnib. hinc inde veluti lance libratis, decreto, ac præuiſo remedio, (Filii ſui,ſcilicet,incarnatione,et morte) pluribus,et ineffabilibus bonis; ad eius reparationem probe examinatis quæ ex Adæ, et ceterorum hominum peccatis, tãquam ex tenebris lumina, et ſplẽdores,educturus poſtmodum erat; adiudicans gloriæ ſuæ multum expedire,vt eum daret: idcirco deliberando, ac veluti ſeipſum conſulendo, non Angelos, ad quorum ſimilitudinem hominem minime eſſet facturus, ſed ad ſuam; nec enim eorum ope indigebat ad id operis perficiendum:ſed nec ipſi ad creationem rei cuiuſquam, etiam cum Deo, aliquid efficere poſſunt:ac proinde nec principum Heroum more maiori numero dixit, FACIAMVS: ſed quemadmodum omnium animalium prima indiuidua,ſe ipſo ſolo,vti diximus,nõ tamen ſolitarie,ſed Pater per Filium cum ſancto Spiritu, ex elemẽtis formauit, a nulla creatura opem veluti,et ſuppetias poſtulans, ſic etiam nunc formaturus hominem, ipſe ſecum dumtaxat loquens, et deliberans, ſe ipſum veluti excitando,hęc verba protulit Deus Pater ad Filium, et ſanctum Spiritum, et ait: FACIAMVS HOMINEM omnes nos,quomodo ab æterno decreueramus pro hoc tempore producere: vt vnuſquiſq. no-

[a] Hæc omnia ſunt ex ſentẽtia Ruperti Abbat. quæ omnia ſubtiliter quidem, et non obſcure ſignificant verba iſta conſulẽtis, et deliberantis, et ad opus adhortantis, Faciamus etc.

ſtrum ſuam operis partem ſuſcipiat, et quamuis omnia opera noſtra externa omnibus nobis communia ſint, et indiuiſa; appropriatione tamen quadam ego Pater mihi vendicabo eius conditionem, et tu Fili mi poſtea perditū reparabis, ſanctus Spiritus vero remiſſionem peccatorū eius, et carnis reſurrectionem eiuſdem perficiet: quandoquidem hæc omnia, et vniuerſa alia opera hominum ab æterno et præuiſa, atque prouiſa a nobis fuerint, inq. eorum prædeſtinatione, et reprobatione fuerunt compre-henſa. Et preterea eternum decretum noſtrum,[a] vt Filius hominem ſit aſſumpturus, ſubſequatur peccati hominis noſtram permiſſionem. Faciamus ergo, et cōpingamus animal quoddam perfectiſſimum omnium, et ceteris ſuperius, conſtans corpore et mēte, ſiue anima intellectuali. Atque priorem illam partem, cui mentem coniungere debemus, non ex eo genere terræ, ex quo alia omnia animalia condita ſunt, ſed ex rubea terra, quę mixta aqua facilius, fortiusq. cōglutinatur, compingamus. Ea propter, vt diuturnum vita maxime ſit, et contrariis fortius reluctetur, et temperamento alios omnes animātes excellat. Nec id ſolum, verum eius conſtitutio, et temperatura reliquorum omnium ſuæ ſpeciei ab ipſo propagandorum animalium corpora æqualitate quadam, ac perfectione, et elegantia prorſus* tranſcēdat. Vnde et percipere excellenter hic animans, ac ſentire ſenſilia omnia, et maxime quæ illi prodeſſe, et quę nocere poſſint, ſpectata eius corporis natura, præ omnibus aliis animantibus poſſit. Atq. ab hac parte inferiori, et materiali ſuæ conſtitutionis, ex illo glebæ genere ſuam ſortiatur nomenclaturam, et rubeus, ſiue Adamus (quod idem ſignificat)[b] nūcupetur: vt ſic ſuæ crebro memoretur originis, indeq. admoneatur, faſtum, et elationē penitus auerſari. Etenim animal hoc, a pec-

a Sic ſentiunt Patres abſque repugnantia.

** Vnū excipio Chriſti Dñi corpus, nec non & beatiſſimæ Mariæ Virg. matris eius.*

b Quod Latinis homo appellatur, quaſi ab humo, vel ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ, quod conſuetudinem, et vitæ coniunctionē colere debeat, Græcis dicitur.

a peccato a ſe commiſſo tumidum erit, arrogans, ferum, ac interdũ quoq. truculentum. Quod ſi ſeipſum ob mẽtem, ſiue animam intellectualem, nobiliorem ſuæ compoſitionis partem, voluerit extollere: nomine a ſua forma, et ſecundum animam, quod ſuæ ingratitudinis, et inſaniæ aduerſus opificem ſuum eum animaduertat, illum donemus, vocemusq. eum Enos, obliuioſum [a] videlicet; quod nimirum oblitus beneficiorum a nobis receptorũ ingratiſſimus ſit futurus, parereq. nobis, noſtrisq. legibus infelix, et inſanus ſit contempturus. Ac proinde fiet, vt hoc nomine etiam ei animaduerſum ſit, eum [b] miſerum, mæſtum, pauidum, deſperatum, ac deniq. fere inconſolabilem futurum eſſe. Ex cuius vtriuſq. nominis noſtra impoſitione, tum ipſe, tum etiam cuncta eius futura ſoboles, certo, et frequenter ſibi in animum inducant, nos Factorem ſuum præuidiſſe inſignem hanc huius viuentis animalis rationalis ingratitudinẽ; ac quidquid deinceps ei ſubſecuturum foret.

AD IMAGINEM ET SIMILITVDINEM NOSTRAM. Faciamus ergo hoc animal, ſcilicet hominem, alioquin præſtantiſſimum animalium, nobis quam ſimillimum; et ex propria natura quam ei cõferre decreuimus, exacte noſtram naturam referentem: ita vt hic viuens ex præſtãtiori ſuæ naturæ parte in ſe ſit imago quędam nobis valde ſimilis, quæ, ſcilicet, nos quoad fieri poteſt, repræſentet, et exprimat ea parte qua mente ſciente, [c] et intelligente, et volente præditus erit: ſecundum quam non vulgari, et quouis modo ſimilis nobis ſit, ſed expreſſiuo, [d] et repręſentatiuo noſtræ naturæ ſpecificæ, et propriæ eſſentiæ: ita vt ſecundum hanc ſui nobiliorẽ partem præcipue dicatur, et ſit eductus, et exẽplatus, ac imaginatus. Vt quemadmodum nos natura noſtra ſumus in-

a Ita tenet D. Hieron. in quæſtionibus Hebraicis, & Euſeb. de præparatione Euangel. lib. 11. cap. 4.

b Oleaſter autem putat, nomine Enos hæc omnia ſignificari.

c Ita Plato 1. Alcibiad. & Grego. Nazian. ſermone de Natali.

d Hæc eſt propria ratio imaginis.

tellectualis,ac princeps,et ſummus intellectus: ita hic viuens participatione quadam non mediocri, in præſtantiſſimo rerũ ordine, (hoc eſt,quo nullus excelſior, ſublimiorq. eſt) collocetur,mente præditus,et inſignitus,participãsq. ſummum hunc intellectualitatis gradum, quo nos formaliter viuimus:cui nullus in viuentib. gradus inuenitur æqualis:ac proinde ei animam mente conſtitutã inſpiremus,et inſufflemus,et cõferamus.Et ſoli huic animanti, ſcilicet homini, in ſenſili mundo hoc honoris,et dignitatis indulgeamus.qui honor ſit ei eximius,et ſingularis,atq. incredibilis gloria,qua donatus a nobis,ceterorum animaliũ Princeps,et dominus efficiatur: eo [a] quod imago noſtri erit.Quemadmodum ergo nos vnus Deus natura ſumus,ac vna ſumma mens, et ſumme intellectiuus,atq. ſummus intellectus; tres tamen ſumus perſonæ diſtinctæ, Pater,Filius, et Spiritus ſanctus : pari etiam ratione homo ipſe ſua anima rationali,ſeu mente (quæ ipſius animæ ſuprema portio erit, et qua ſenſiles reliquæ creaturæ carent,et proinde eis omnib. antecellet)noſtra, et omnibus communis imago ſit;et proinde in eo præcipue nos repræſentet,in quo vnum ſumus,videlicet in natura intellectuali: necnon [b] diſerto,ac patẽti modo,quatenus trinus ſumus perſonis,quas(etſi exiliter,et obſcure) tribus ſuæ mentis partib. intellectu ſcilicet, memoria, et voluntate referat. Quæ tria in eius mente non tres vitæ, ſed vna vita; non tres mentes,ſed vna mens,vnaq. eſſentia animæ ſint, inſtar ipſius eiuſdem quod in noſtra natura, et eſſentia reperitur. Cuius naturæ tres perſonæ etſi diſtinctæ realiter ſint, ſunt tamen non tres eſſentiæ, ſed vna; non tres vitæ,ſed vna; non tres naturæ,ac tres mentes intellectuales; ſed vna natura, ac vna intellectualis mens.Nec ſolum hominem hunc eiuſmodi naturę produca-

[a] *Ita Euſeb. in Catena. in Pſalmos, Pſal. 80. & Greg. Nazian. in ſermone de Natali.*

[b] *Hæc omnia ſunt D. Ambroſ. lib de dignitate cõditionis human. & D. Aug. lib. de Trin. maxime li. 10. cap. 11. et ſuper Geneſ. quam Theologiam omnes Latini poſteriores maximo cõſenſu amplectuntur.*

ducamus, qua mente ſua naturæ, et Deitatis noſtræ vnitatem, atque perſonarum noſtrarum trinitatem naturaliter ſig referat, vt diximus, ſitq. noſtri imago naturalis; verum etiam cum gradum intellectualitatis, in quo ſummum apicem, et primas, infinita perfectione, et incomprehenſibili ab omni creatura, nos tenemus, attingat, noſtræq. Deiformitatis capax ſit: donemus [a] illum Spiritus ſancti inhabitatione, quæ iuſtitia, atq. ſanctitate perficietur; et gratia, quæ eum nobis gratum faciat, et virtutum omnium chorum ſecum adferat, earum præſertim, quæ noſtriformes proprius ſint: et chariſmata meliora, quales erunt, fides, ſpes, charitas; quarum vis, et ornamentum charitas erit. Vt iis omnibus ornamentis mente ipſius a nobis decorata, nobis ſimillimus, etiam in Deifico, ac ſupernaturali eſſe conſtituatur: atq. noſtræ ſupernaturalis naturæ exacte iis omnib. etiam imaginem ſupernaturalem in ſanctitate, et iuſtitia præ ſe ferat: ſicque animans hic, videlicet homo, exacte quoad fieri poteſt, dicetur, et erit factus, et conditus a nobis, ad imaginem noſtram in naturalibus; et ad noſtram exactam, et in natura ſenſili rationali poſſibilem ſimilitudinem, in ſupernaturalibus. Faciamus igitur hominem mente iis omnibus ornata præditum: vt et probum, et rectum ſimul, cum creando efficiamus: atque ſic condendo in eo naturam, ſimul ei largiamur et gratiam: et vere, et proprie, quoad fieri poſſit, ſimul fiat ad imaginem, et ſimilitudinem noſtram, quam vtramq. in eſſentia animæ ſuæ rationalis gerat: imaginem vero, donatione naturæ impreſſam, et inditam; ſimilitudinem autem, quæ in gratia conſiſtit, donatione ipſius gratiæ infuſam a nobis, et ipſi eſſentiæ animæ inhærentem: ita tamen, vt confeſtim, et agminatim virtutes quaſdam, et Spiritus ſancti

m v dona

a Ad duplicē ergo imaginē, et ſimilitudinē Dei conditus eſt homo; videlicet ad eā, quā acquiſiuit acceptione naturæ rationalis animæ, vt oēs fatentur: et ad eā quā acquiſiuit Spiritus ſancti inhabitatione per gratiā et virtutes Theologicas & c. quam imaginem accepit Adā non ſolū ante peccatū, vt docent antiqui inſigniores, Cyril. lib. 1. ſuper Ioan. cap. 15. et li. 2. cap. 3. et 9. Damaſcen. lib. 2. D. Hiero. in epiſt. ad Damaſ. Victorinus lib. 1. diſputation. cōtra Arriū, Eucherius Epiſc. Lugdun. hoc loco: vt præterea DD. Ambroſ. & Aug. quorum verba refert Magiſt. 2. diſ. 29. quinimmo id definit cōcil. Tridēt. ſeſſ. 5. cano. 1. et 2. Minor tamen fuit

Adami ſāctitas, et iuſtitia iſta, Chriſti iuſtitia; & vt puto, B. Virginis Mariæ. Non ſolū igitur ante lapsū (inquam) Adamus imaginē Dei quæ eſt per gratiā, accepit, verū etiam in exordio ſuæ cōditionis ſimul cum natura, et imagine naturali, ſupernaturalē accepit, vt docēt D. Baſil. hic, D. Aug. 12. de ciuit. c. 9. & de correct. & gratia: & ueter. Patres, quos Diony. Cartuſ. 2. diſt. 24. refert, & cor. dicta: et S. T. multis locis, et D. Hiero. ſuper Oſe. & Leo Papa in quodam ſermone, & Duran. 2. diſt. 20. & complures doctiſſimi viri.

dona quędam, eam ſcilicet gratiam, tamquam Reginam in ſuam Regiam ingredientem concomitentur: ac facultates animæ omnes emaculent, exornent, diteſcant: hoc eſt, fides, et prudentia intellectum; charitas, ſpes et iuſtitia voluntatem; fortitudo iraſcibilem, temperantia concupiſcibilem: ac ita totus homo hic, ſua interiori, et præſtantiori parte eiuſmodi ſancti Spiritus habitatione decorata, nobis mirum in modum ſimilis ſit, atq. noſtri imago, et Deiformis viuens.

ET PRAESIT PISCIBVS MARIS, ET VOLATILIBVS CAELI, ET BESTIIS, VNIVERSAEQVE TERRAE, OMNIQVE REPTILI QVOD MOVETVR IN TERRA. Atque inde, hoc eſt, ex imagine hac noſtra, quæ hominibus a nobis producendis inerit; ſubſequenter in eis tamquam proprietas, et proprius effectus, ius quoddā in bruta omnia, inq. omnem terram a nobis illis traditam, atq. dominium, vt tāquam rerum omnium domini a nobis conſtituti, dominentur omnibus animalibus quotquot ſunt. Et ſic aquatilibus, aereis, ſiue volatilib. atque omnibus terreſtrib. iure ſuæ naturæ ad imaginem noſtram, et ſimilitudinem productæ, præſint; vt ſint quoq. natura ſua omnium domini. Totum ergo humanum genus, quemadmodum antequam orbis eſſet, iugiter in noſtro extitit propoſito, et conſilio Diuino: ſic modo et hac die in hoc vno, et primo omnium hominum, ſcilicet Adam, tamquam in ſtipite comprehendamus, et tamquam in radice poſteros omnes complectamur. Vt proinde quidquid cum Adamo iſto creatione, donis, dominio, lege, cōmunicatione, fœdere, et condemnatione tranſegerimus; totum nos tranſegiſſe cum tota eius futura ſobole, ab hominibus omnibus intelligi poſſit: quatenus in primo iſto

homi-

homine creati, ad imaginem, et ſimilitudinem noſtram creati,et rerum omnium domini effecti cenſeantur.Et liberi æqualiter omnes a culpa, et miſeria ſint; ea ratione, qua eo peccante omnes ſimiliter in eo peccabũnt: quia vnum erunt nimirum cum eo. Hoc ergo titulo, quia videlicet imagine noſtra, et ſimilitudine, tota hominum multitudo,et ſinguli eorum decorati erũt; indulgeamus illis ſubiugationem,et dominium, ſeu dominatum, hoc eſt, ius,et poteſtatem in omnia animalia quotquot creata ſunt, cuiuſcumq. generis, et ſpecici; in vſum omnem quem voluerint,ea capiendi.Et quamuis nec tota hominum a nobis producendorum multitudo ſimul poterit aquæ,aeris,terræq. animalia ita ſibi ſubiicere,vt ſi velit ea perimere,ac prorſus extinguere:ſunt enim de integritate, et venuſtate vniuerſi huius a nobis cõditi; ac ideo noſtra prouidentia vt vel vna ſpecies integra exhauriatur, non ſuſtinebit; quanto magis abeſt,vt ſimul omnes extingui, aut aboleri a quoquam poſſint? habebit tamen tota hominum multitudo ius in ſingula ſpecierum omniũ animalium indiuidua capiendi, illaq. in quemcumq. vſum voluerit ſubiugandi. Et ſinguli quoq. homines titulo ſui opificis Dei imaginis, hoc ipſum ius ſimiliter habebunt. cuius poteſtatis ampliſſimæ,ac iuris latiſſimi exercitium, vel poteſtatis vſum,nullo tempore in omnia, et quæque indiuidua omnium animalium, plene, ac in vniuerſum conſequentur.

Rom.5.

Ita teſtatur Eccleſ.3.

ET CREAVIT DEVS HOMINEM AD IMAGINEM ET SIMILITVDINEM SVAM.

Hucvſq. æternæ Trinitatis cõſilium,ac decretum de creando homine vobis enarraui:nunc executionẽ hac ſexta die mundi factam pergam exponere. Dico igitur,eundẽ Deum,qui ſic ab æterno definierat,ſemetipſo nunc (non

autem

autem opera, ac miniſterio [a] Angelorum) nobiliſſimum hoc animal creaſſe quantum ad animam, ſcilicet, nobiliorem ſui partem ex nihilo producendo; et effeciſſe quantum ad totum compoſitum, et ſuppoſitum. Cuius corpus ex rubea terra produxit, et compinxit. Creauit ergo hominem ad imaginē, et ſimilitudinem ſuam. Quæ quidem imago in primo homine, ſicut nec etiam in reliquis eius ſobolis, non fuit ſolummodo iuſtitia, ſanctitas, et [b] Deiformes reliquæ virtutes: hæc enim omnia, cum per peccatum deſtruantur, ac perdantur; perdidiſſet primus homo Dei imaginem, cum primum peccauit: parī etiam ratione oēs in vniuerſum homines imagine [c] Dei ſpoliarentur, ſtatim cum peccato eſſent infecti. quod aſſerere, pernicioſiſſimum eſt. Sed imago hęc eſt nobis cōgenita, deq. natura, et eſſentia [d] hominis; at Deiformes iſtæ virtutes non ſunt de natura hominis, ſed qualitates accidentales ſeparabiles, et dona opificis liberalitate ei ſuperaddita, ſicuti fuerunt in Adamo et ante peccatum, et ſimul cum [e] crearetur, ex libera Dei Creatoris donatione. Vnde geminam [f] Dei fuiſſe in Adamo imaginem, ac eſſe in hominibus viatoribus poſſe, intelligendum vobis neceſſario eſt: vnam videlicet naturæ, alteram gratiæ; generationis, ſcilicet, et regenerationis: hoc eſt, alteram quidem carnis procreatione, et alteram Spiritus ſancti largitione adeptam. Illam poſſumus imaginem [g] Dei vocare, quæ omnium hominum eſt; iſtam vero Dei ſimilitudinem, quæ paucorū eſt: illam natura habemus, iſtam voluntate Dei, et dono Spiritus ſancti conſequimur: illā peccando nequaquam amittimus, (peccatum enim nequaquam naturam penitus obruit) iſtam vero per peccatum perdimus. Quæ præterea imago Dei non eſt querenda in corpore Adæ, et aliorū hominum; ſed in anima, et mente

a *Vt Plato, et Rabbini Hebræor. volunt.*

b *Vt putarūt Irenæus, et Cyprian.*

c *Hæc fuit hæreſis Orig. Armacani, Vuithcleph. Vide Soto 4. de iuſti. et iur. q. 2. erudite contra hos.*

d *Ita docet Aug. lib. 10. 14. 15. de Trinit. quē ſequuntur Magiſter, et ſcholaſtici oēs 1. d. 3. et 2. diſt. 16.*

e *Quamuis cōcil. Trident. decre. 6. cap. 1. de creation. non facit mentionem: tamen ante peccatū vt de fide decernit, Adamum habuiſſe iuſtitiam, & virtutes &c.*

f *Hæc eſt cōmunis ferme opinio.*

g *Ita docent Eucher. et Iſidor. ab Aug. edocti, et Magiſt. 2. diſt. 16.*

mente,vt iam vobis expoſui.Quod inde vtcumq. intelligi poteſt: quoniam vix quiſpiā euaderet,quin præter hominem alia quoq. animalia eſſe, quæ Dei imagines dici poſſunt,fateri cogeretur. quod magna conſenſione omnes negare debetis. Qui enim huiuſmodi animalia,vt ſimiam,hominum corpori ſimillimam,et aliqua alia corpore præſtanti,interimeret;criminis reus,atq. adeo morti obnoxius,ſecundum naturæ leges fuiſſet,quod Dei imaginem deſtrueret. quod aſſerere inſanum eſt.cum a Deo habeant homines, qua imagines Dei ſunt,ius, et poteſtatem, quæcumq. alia animalia, quæ non ſunt ſuæ ſpeciei, occidendi, et capiendi, in quem voluerint vſum, vt iam diximus vobis,verbum Dei explicantes. Veſtigāda igitur eſt imago Dei non in corpore,[a] ſed in anima,quę melior pars hominis eſt,vt rurſum idem repetam. Anima autē, et mens humana Dei imago eſt,non hoc ipſo quod immortalis eſt,et vitæ [b] perēnis,quemadmodum Deus,qui ſolus habet ex ſe immortalitatem : ſic enim et cæleſtia corpora ad imaginem Dei facta dici poſſent;immortalia enim ſunt,et indiſſolubilia,vel Dei [c] voluntate,vel etiam natura [d] ſua:nec ex eo,quod inſtar Dei omnia viuificantis,fouentis,mouentis,et gubernātis; anima noſtra etiam tota eſt in toto,et tota in qualibet parte ſui corporis;vbiq. tota viget,totum viuificat, mouet,et pro libito moderatur : nec minor eſt in minoribus membris, nec maior in maioribus; ſed tota penitus in minimis, et in maximis corporis partibus eſt ; proinde magnopere Deo ſimilis. Non ideo,inquam,imago Dei cenſetur: quia pari modo animæ animalium perfectorum imagines Dei dici poſſent; cum in ſuis corporibus eodem modo ſint,quo noſtra in ſuo; ac ſua earum corpora pari ratione viuificant, mouent,et moderantur.Sicq. etiam intelligentia conuer

tens

a *Ita tenēt meliores Catholici antiqui, et recētiores.*

b *Sicut tenet auctor libri de quantitate animæ c. 2. Plato in Phædon.*

c *Vt aiunt Platonici.*

d *Vt aiunt Peripatetici.*

tens orbem, cum non ſit tota in toto, nec tota in quauis parte orbis,ſed in certa quadam,ac determinata,id eſt,in dextera, quæ Oriens eſt, ſimilis Deo, et eius imago dici non poſſet.quod falſiſſimum eſt. Nec etiam in eo quod homo dominatur omnibus [a] animantibus, ac proprio corpori præeſt, et principatum tenet inter ſenſiles creaturas, Angeliq. ei adminiſtrant. poteſtas enim hæc principandi, atq. dominandi animalib. non illa eſt imago Dei quam vobis explicamus, ſed proprietas eius quædam illam conſequens. Sicut et Dei dominium, et principatus non eſt ipſe Deus modo noſtro intelligēdi,ſed eius tamquam proprietas,vel ſi mauis habitudo inter ipſum poſſidentem, et poſſeſſas creaturas. quamobrem et per ſuū actum definiri poteſtas ſolet. Rurſum et ius dominandi corpori ad motum,brutis ſimiliter conuenit:quāuis corporis perturbationibus ſolus homo poſſit dominari.Nō ergo illud imago Dei in homine proprie erit. Quamuis ergo huic,et aliis id genus animæ proprietatibus, quibus aſſimilari Deo homines videmur, nomen,vimq. imaginis interdum homines poſſint [b] attribuere; quod perſpiciant quaſdam quidem earum illam inferre, et comprehendere,ac ab ea tamquam riuulos a fonte emanare:cuiuſmodi eſt hoc ipſum ius de quo loquebamur modo: quaſdā vero veluti eius eſſe iſagogicas, et præparatorias; ſicuti illæ [c] ſunt,videlicet totum corpus, et omnes partes eius fouere,viuificare per ſeipſam totam,et c.minime tamen imago Dei iis conſtituitur, vel in iis ſita eſt. Sed id præcipue erit in nobis,[d] quod in anima noſtra habetur præſtantius,atque ſublimius:id vero eſt intellectus.qui,et mens quæ venit, de foris [e] eſt: qua homo diſtinguitur a belluis,et ex qua totus eſt ęſtimādus.Id enim vnūquodq. eſt, quod in eo potiſſimum eſt; nilq. diuinius in anima

noſtra

a Ita docuerūt D. Chryſoſt. Grego. Nyſſæn. Theodoret. ſecuti Origenē, vt patet in Catena Pſal.8. et Plato in Phædone.

b His rationibus interdū Patres attribuerunt nomen imaginis Dei, iis proprietatibus, vt ſuperiores margines continent.

c Has D. Ambro. aſſerit lib. de dignitate conditionis humanæ.

d Ita docent Aug. 14. de Trinit. cap. 8. & inſigniores Theologi.

e Mēs in homine non eſt ſubſtantia, ſed animæ rationalis facultas quædam, et vis; ſi modo ſequamur S.T.

noſtra eſſe poteſt (ſecundum naturam loquor) quam quod ſcit, et [a] intelligit. Ratione igitur mentis, et animæ rationalis, quatenus intellectu, memoria, et volũtate prædita eſt, hominem Deus creauit ad imaginem ſuam, et ſimilitudinem. Et vna cum ſit eſſentia, et vita vna, et vna mens; omnium ſuarum potentiarum, quoad fieri poteſt, referret, et repræſentaret Deum Patrem, Filium, et Spiritũ ſanctum, in eo in quo vnum ſunt tres illæ Diuinæ perſonæ; videlicet in natura intellectiua, eſſentia, et mente, et vita Diuina: ac etiam cum ſit mens, et anima hominis trina potentiis, tribus ſuæ mẽtis partib. intellectu videlicet, memoria, et voluntate: iis tribus potentiis tres Dei perſonas, Patrem, Filium, et Spiritum ſanctum repræſentaret, (exiliter tamen, et valde obſcure) atque exprimeret. Quæ rurſum [b] potentiæ æqualis ſunt ambitus, atq. progreſſus omnes, quod a ſingulis capiantur ſingulæ, et omnes. Meminit enim homo ſe habere memoriam, et intelligentiã, et voluntatem: et intelligit ſe intelligere, et velle, et meminiſſe: et vult ſe velle, intelligere, et meminiſſe. Ad hæc totam memoriam, intelligentiam, et voluntatem, ſimul intelligit homo, ſimul vult, ſimulq. meminit. et ita de ſingulis philoſophandum eſt. Quæ omnia eminentiſſimo quidem modo, et comprehenſiuo; ac formaliter (vt ita loquar) et eſſentialiter lõge in infinitum perfectius inter illas Trinitatis Dei perſonas reperiuntur. Quę quidem homo ſua mente, et ſuæ mẽtis partibus repræſentat, tametſi non omnino exacte, hoc eſt, non ad viuum, et eſſentialiter referendo naturam Dei; vt ſolus Filius Dei eam perfecte, exacte, ad viuum, et eſſentialiter repræſentat, et eſt imago eius. Nihilominus tamen, anima noſtra quamuis alterius eſt naturæ, obſcure, ac veluti eminus naturam Diuinam, et eius perſonas repræſentat, et ſimilis ei quadam-

tenus

[a] *Ita Plato 2. Alcibiad. qui quoad potuit, animã noſtram Deo ſimilem fecit.*

[b] *Hæc omnia, & alia plura in hanc noſtrã explicationẽ perdocte docet* D. *Auguſt.* 10. *de Trini. cap.* 11. *vnde Trinitatis imaginẽ in functionibus harum potentiarum ait lib.* 14. *Trinit. effulgere; videlicet quod mẽs meminit ſui, intelligit ſe, amat ſe: hec, ait, ſi cernimus, Trinitatẽ cernimus. At ibidem cap.* 8. *in potentiis id conſtituit. Conciliatur tamẽ, quod in iis eminus, in actibus vero præcipue.*

tenus eſt: ita vt eius imaginem natura ſua referens (etſi non adeo exactam,ſicut Angeli referunt; vnde hominis intellectus vmbra [a] intelligentiæ dicitur, quod tenuis,ac imperfectus ſit, et ab intellectu, et natura Dei in infinitũ ferme ſecedens; et multum quidem ab intellectu Angelico;rationalis enim eſt potius,quam intellectualis) imago eius dici poteſt, non quod ea omnia habeat, quæ habet archetypum [b] exemplar,ſcilicet,Deus:æqualitas nãq. de ratione imaginis nequaquam abſolute eſt. Quamuis enim adſint homini characteres Dei aliquot euidentes, et expreſſi; non adſunt tamen ad vnum omnes: homo enim eſſet Deus.quo fit,vt nemini liceat admirari, ſi homo creatus ſit,compoſitus,circũſcriptus,mortalis; Deus autem increatus,ſimplex, incircumſcriptus, immortalis: (etſi de anima, per quam tãquam per prolepſim, homo Dei imago dicitur,hęc omnia affirmanda non ſunt)quapropter arcane quidem non dixit [c] opifex:Faciamus hominem imaginem et ſimilitudinem noſtram, quaſi eum vocaſſet ſuam imaginem:ſed potius dixit,Ad imaginem, et ſimilitudinem noſtram:quod præpoſitio, Ad, ſignificet acceſſum quendã,aut etiam conatum ad illam: ſicq. dicatur homo ad imaginẽ, et ſimilitudinem Dei factus, quia non eſt ei vſquequaq. ſimilis. Erit ergo imago Dei non illuſtris,ſed perexigua,et obſcura, qualem nimirum efficit vmbra.Vt ita ſi cum Deo homines conferamur, eo pacto mens noſtra intellectum Dei repræſentat, quo modo,videlicet,vmbra corpus: atq. ſic intelligimus,nos pertenuẽ, et exiguam Dei imaginem, vmbratilem nimirum habere. Hæc autem ſic intelligite,vt dicta ſunt, ſi cũ Deo, ſcilicet, homo conferatur. At vero ſi cum ceteris animantibus,in quibus nulla mens eſt,nullus intellectus, nulla intelligentia, ac proinde nulla Dei imago; tantum

illis

a Sic vocatur ab Epiphanio,a nonnullis Theologis, a Philoſophis.

b Ita Theodoret. dialogo 2.

c Hoc adnotarunt Hugo ſuper Geneſim, & S.T. 1. p. q.91.

illis eminet, vt licet Deus omnia [a] repleat, (etenim quædam creaturæ [b] eſſe, aliæ eſſe et viuere, aliæ deniq. eſſe, viuere, et perſpicere (quæ Dei perfectiones eſſe vidētur) participant) quia tamen hæc omnia ad ipſum, veluti genus Dei exiſtimantur ſpectare, ſolusque homo eius præterea particeps eſt, quod videtur ad eius veluti ſpeciem pertinere, nempe intellectus, vt ſæpe iam dixi: ea propter ſolus ad eius imaginem et ſimilitudinem creatus, et ſolus cuiuſcumq. boni particeps dicitur. nec enim ab eſſe, viuere, ſentire, et intelligere; gradus, et ordo alius bonorum reperitur: eſt enim poſtremus horum gradus, ſpecies ſpecialiſſima veluti priorum graduum, et qui eos omnes complectitur. at vero entia reliqua (quinimmo homo ipſe quoque, ſecundum alias eius partes, et perfectiones) per modum veſtigii Deum referre dicuntur; vel ſi [c] extendere malueritis imaginis nomen ad quamuis ſimilitudinem; imperfectiſſimæ profecto, et veræ vmbratiles Dei imagines erunt: et homo earum comparatione perfecta, exacta, et expreſſa tota, et [d] completa. Conſtanter ergo oportet nos inhærere verbo Dei puro ac puto; quo nos docuit hominem condēdo, eum eſſe præ ceteris cunctis ſenſilibus animantib. Dei imaginem: videlicet quod mēte ſolus præditus ſit, qua ſolus liberi arbitrii eſt, ſuarumq. actionum (qua nimirum homo eſt) dominus. In qua re auguſtam Dei Maieſtatem magnopere repręſentat. Sicut et in condendis legib. in prouidentia, et cura quam multorum [e] habet, inq. eo quod incomprehenſibilis, imperſcrutabiliſq. corde eſt: tum vero quod in momento temporis infinita percurrat, cogitet, fingat, ac moliatur; aliiſq. permultis in rebus: quas omnes enumerare ſi vellem, lōgior eſſem quā poſtulat ratio in hac geneſis enarratione. In primis enim, quod felicitatis qua Deus natura potitur,

a *Sicut etiā Poeta dixit: Iouis omnia plena ſunt.*

b *Vt ait Ariſt. 2. cæli, tex. 100.*

c *Sic extēdunt Patres nonnulli, & Dionyſ. cap. 4. de Diuin. nomin. vbi ſolē vocat euidentem Dei imaginē, ſecutus Platonem.*

d *Vt ait Raimundus in ſua naturali Theolog. titu. 121. intellige comparatione creaturarū inferiorum: ſimpliciter tamen ſolus Chriſtus eſt plena Dei imago, propter expreſſam in ſe paternæ claritudinis vnitatē, vt ait D. Ambro. Lucæ 22. ſicq. ex iis intelligūtur formulæ loquēdi Doctorū in hac materia, ſcilicet cum ſale.*

e *Vt adnotat Gennadius.*

particeps eſſe poteſt. Ille vero intelligit ſe, amat ſe; homo vero mēte Deum intelligere poteſt, poteſt amare, et ipſo frui: an non hic videtis, quæſo, expreſſam Dei imaginem? ſed non adhuc exactam, et ſuis omnib. numeris abſolutam. Eſt enim exacta tunc, quando actu intelligit, amatq. Deum, ac eo plene fruitur. Quo fit vobis apertiſſimū id quod ſupra verbum Dei elucidantes docuimus, geminā ſcilicet ſui imaginem Deum homini indidiſſe, cum eum formaret: alterā naturalem, dono creationis, mente eum intelligente, memorante, et volente, conſtituendo: alterā dono ſanctificationis, et ſancti Spiritus habitationis, eius animā rationalem gratia, et ſanctitate, in illius eſſentiam infundēdo: ac ſimul cū iſta, qua ſibi hominē vere, et proprie amicum fecit, potentias animæ, intellectum ſcilicet, et voluntatē eius virtutib. decorando; fide videlicet, ſpe, et charitate, ac prudētia, et iuſtitia: necnon iraſcibilem, et concupiſcibilem fortitudine, et tēperantia cohoneſtādo: vt ſic Adamus à Deo conditus perfectus, et numeris omnibus abſolutus aſſurgeret homo Dei, tum in naturalib. tum etiam in gratuitis, et ſupernaturalibus: quo et imago perfecte eius in illis, et ſimilitudo in iſtis exacta eſſet, et diceretur. quam vocem opifex dum hominem cōderet, adiunxit, noſq. illam etiam inculcamus: non quod ſimilitudo re diuerſa ab imagine ſit, ſed eiuſdem imaginis de qua ſermo eſt, ſumma perfectio, ac ſupremus decor, et pulchritudo. ſicque oporteat vos intelligere, quo modo nos hoc loco, ſicut et opifex paulo ſuperius, nomine ſimilitudinis Dei, virtutes prędictas Deiformes, ſimul cum gratia, et ornamenta omnia animæ Adæ, tamquam vno faſce comprehendamus: ſicut nomine imaginis animam mente præditam complectimur: imaginis voce in nobis mentē intelligendo, qua creatione conſtamus, a ſimilitu-

a Doctores enim communiter exiſtimāt, quid intereſſe hoc loco inter vocem imaginis, et vocem ſimilitudinis: nullo tamē modo commodius exponitur quā iſto.

dinis

dinis vero, dona Dei ſupernaturalia, quibus Adamus ſanctificatus euaſit, et poſt eius lapſum ipſe, et nos peccatores regeneramur, et nobis condonantur peccata, conſortesq; Diuinæ naturæ efficimur, intelligimus; et cũ primis gratiam iuſtificantem, cui reuera accidit expurgare a peccatis, cum ei dumtaxat, ac per ſe conueniat, gratum Deo facere illum cui ineſt, et iuſtum: quemadmodũ in Adamo, antequam [a] rueret; et in Angelis, qui perſtiterunt in Dei obediẽtia, videre certiſſimum eſt. Et cum Deus vna, eademq; oratione dixerit, Faciamus hominem ad imaginem, et ſimilitudinẽ noſtram: nulla ratio patitur, vt Adamo intelligatur indita imago cum formaretur, ſimilitudo autem aliquanto poſtea: præſertim autẽ cum et hanc illum habuiſſe antequam caderet, fide non dubia a vobis tenendum [b] eſt: licet nobis nunc ob peccatum merito aliter contingat. Cum vero mens noſtra, imago naturalis Dei, ex imagine ſupernaturali, quę gratia, et Deiformibus virtutibus conſtat, miram acquirat pulchritudinem, ac Deum longe melius exprimat quando ea prædita eſt; et cum ea caret, turpis, ac tamquam maculis infecta vndique efficiatur: quin etiam [c] eam eſſe exiſtimandum eſt, ex qua non modo pulchritudinem, ſed et animam, atque vitam, vt ita dixerim, illa ipſa noſtra anima acquirit, quam Spiritum ſanctum, et gratiam, et charitatem, et donum poſſumus [d] nuncupare: fit proinde manifeſtum, opificem Deum, cum hominem condidiſſet, vtramque ſimul ei imaginem conceſſiſſe; naturalem ſcilicet, et ſupernaturalem: hanc autem, videlicet imaginem ſupernaturalem, ſimilitudinem Dei, quatenus illius eſt ſuprema perfectio, ſummaque pulchritudo, libuit appellare. Quæ quidem vna cum ſit, non profecto re, et eſſentia diſtinguitur; ſed officio, et aggregatione, ac liga-

a *Vt ex DD. Cyrillo, Damaſceno, Hieronymo, Victorino, Eucherio, Auguſtin. Ambroſio, et Concil. Triden. ſupra notauimus.*

b *Sic definit Concil. Triden. ſeſſ. 5.*

c *Vt ſcite perpendit Auguſt. lib. 14. de Ciuit. Dei.*

d *Sic nuncupãt ſacræ Scripturæ per excellentiã, et maiores noſtri animæ noſtræ animã, & vitam, vt D. Bernar. ſerm. de vita & quinq. ſenſib. & D. Macar. homil. 3. et 32. & D. Cyrill. in dialogo ad Palladium, vbi expreſſe ait in ſententia, vtraq. imaginem hominem in ſui conditione eſſe ſortitum.*

mento, iuſtitia, et ſanctitas nuncupatur, continens gratiā, et ſupradictas virtutes. Si ergo omnibus fatendum, Adamum habuiſſe corpus egregie compactum, hoc eſt, præſtantis temperaturæ; elegantiſſimumq. et quod imperio animæ citra laborem poſſet obedire, obſecundareque: quodq. morbos nullos, nullas moleſtias, et ęrumnas, nullave incommoda pati poſſet; non quidem intranea, aut qualitate, aut diſpoſitione: quemadmodum beatorum corporibus a reſurrectione continget: ſed Dei præſeruatione, ac dono illo animæ collato, quod [a] iuſtitiam origi nalem vobis liceat nuncupare: quibus etiam addere fructus ligni vitæ (de quo inferius vobis ediſſeram) de quo ſi comediſſet, magnas adeptus fuiſſet vtilitates. Quo præterea dono, et vim illam internam animæ, videlicet concupiſcentiam, ſeu [b] concupiſcibilem, aut [c] ſenſualitatem (quæ idem valent) rationi obſequentem habuit, et citra vllam reluctantiam per omnia ſubiectam. Quomodo ergo accepit animam intellectiuam, hoc eſt, Dei naturalē imaginem, ſupernaturali imagine, id eſt, donis prętantiſſimarum virtutum, dum formaretur, deſtitutam? Papæ, quam hæc ſunt indigna eximia Dei philantropia, et ſenſilium omnium excellentiſſima creatura! cuius gratia et mundum ille condiderat, et animalia, ceteraque omnia quæ e nihilo fecerat, tot donis locupletauerat; et quā ad beatitudinē ſupernaturalē conſequēdam præcipue [d] formabat. Vtrumq. igitur in ſui formatione, imaginem ſcilicet, et ſimilitudinem homo ab opifice ſortitus fuit. Quę exacta quidem in homine tunc eſt, quando actu intelligit, amatq. Deum, atq. eo plene fruitur: hanc vero, dum hanc vitam viuimus, deſiderāmus quidē, et expectamus; ſed tamē non niſi a longe ſalutantes, ac per tranſennam, et obſcure eius nonnihil aſſequimur. Sed in patria, cum quiſ-

a Sic Doct. a multis annis magna cōcordia nuncupant, & addunt.

b Sic vocant Philoſophi: ſic vocatur ad Roma. a ſui nobiliori parte.

c Sic Augu. 12. de Trinit. a proprio munere, impellit enim ad ſenſilia.

d Vide alias huius rei optimas rationes apud Hieron. Vielmi. lectio. 20. poſt mediū. Vnam tamen perpulchrā audi ex D. Leone Papa; videlicet, ut homo eſſet ipſius Dei imitator, nimirū quantū ad puritatē, et ſanctitatē: quod certe abſque gratia non potuiſſet perficere. Verba autē D. Leonis ſunt hæc: Si creationis noſtræ intelligamus exordiū, inueniemus hominē ideo ad imaginē Dei conditū, ut imitator ſui eſſet auctoris. Et hāc eſſe

quiſque cognoſcet ſicuti et cognitus eſt, hoc eſt, non per ſpeculum in enigmate, ſed facie ad faciem, et vnum cum prototypo efficietur; ſane perfectiſſimã, abſolutiſſimãq. Dei hanc imaginem nanciſcetur. Nobis ergo imago Dei, et natura ineſt; ac propterea nobis omnibus communis eſt; et qua opificem, vt vnus eſt, inueſtigare; ac vt trinus (cum fide perfuſi ſumus) eius rememorari poſſumus. Siquidem ad dignoſcendam Dei vnitatem, eiusq. rememorandam Trinitatem, imago hæc nobis ſuppetias non vulgares affert: quas plane nec ita facile, nec ita patenter cōſequi quiſquam poteſt a ſolo Trinitatis, quod in reliquis homine inferioribus creaturis veſtigio reperitur. Quod plane ſiue fuerit [a] modus, ſpecies, et ordo; ſiue quod [b] cōſtat, quod congruit, quod diſcernit; ſiue [c] numerus, pondus, et menſura; ſiue [d] ſubſtantia, ſpecies, et virtus; ſiue [e] vnitas, veritas, et bonitas; ſiue [f] bonificans, bonificabile, bonificare; ſiue [g] eſſe, virtus, et operatio: quod magnopere probari nobis debet, non oportet immorari. Sed vt in his veſtigii partib. vtcumq. Trinitatis Diuinarũ perſonarum illi homines admonentur qui et fide perfuſi, et de ea recte inſtituti antea fuerint; ita tamquam imagine, hoc eſt, longe propius, et felicius cum reſpexerint animæ noſtræ proprietates, et functiones, eam contemplari poterunt. Ac præterea dono gratiæ, Dei ſimilitudo in nobis eſt, et in anima noſtra; ac fuit in primo homine ab exordio ſuæ conditionis, gratia, fide, ſpe, et charitate: quam cũ quiuis eam poſſidens in ſua mẽte perſpexerit, multo longius exacte, atque perfectius, nedum Diuinam illam opificis naturam, eiusq. Trinitatis perſonas poterit contemplari; verum etiam et contemplando admirari, ac quodam ſupremo amore diligere; et amando tam ſupremũ ſuum opificem, tam munificum ſuum Saluatorem, iu-

naturalẽ noſtri generis dignitatẽ, ſi in nobis, quaſi in quodã ſpeculo, Diuinæ benignitatis forma reſplẽdeat. Ad quam (imaginẽ ſcilicet quæ gratia conſiſtit; de hac. n. loquitur iſte ſanctus) quotidie nos reparat gratia Saluatoris; dum quod cecidit in Adamo primo, erigitur in ſecundo. Hæc ille. Nec improbandus eſt (dicit hic Gloſſa) ſi quis dixerit, imaginem Dei, ad quã creauit hominẽ, illud humanæ naturæ ius eſſe, quo propẽſiſſimus ſit homo ad benefaciendũ omnib. velu ti Deus: quod animalia bruta nõ habeant. Cõfert hæc cũ iis quæ Biel ex Ochã aſſerit 1. d. 3.

a Vt tenet Augu.
b Vt idẽ lib. 83. q.
c Vt autor Sap. 11.
d Vt Gloſ. Pſal. 91.
e Vt Bernar. alicubi.

f Vt *Cuſanus lib* 1. *exercitationum*. g Vt *Dionyſ.* 11. *de cæleſti hierarchia*.

giter laudare: quippe qui cum tam mirifice ad imaginẽ, et ſimilitudinem ſuam fecit.

AD IMAGINEM DEI FECIT ILLVM. Hoc ergo ineffabili modo creauit Deus hominem ad imaginem, et ſimilitudinem ſuam. Et vt vos ad præſtantiſſimi huius beneficii iugem, perennemq. recordationẽ ſuauiter excitem; necnon ad meditandum Adæ, et in eo omnium noſtrum inſignem, et pudendam ingratitudinem: qui tanta Dei clemẽtia, et in nos largitate abuſi nequiſſime ſumus; iterum congero, Ad imaginem Dei fecit illum. In hunc ſane ſcopum omnia quæ vobis in hac rerum geneſi tradere inſtitui, dirigenda fore a me exiſtimaui: ac proinde huius præcellẽtis doni Adæ collati tam crebro verba facio, vt videlicet eius recordationem cordibus veſtris altius, fortiusq. curem imprimere: quod nõ ad ceteris brutis æqualem; non ad Angelorum, ſi quam homines habent effigiem; ſed ad ſuimet imaginem nos opifex effecerit. Quare audite illum dicentem, Faciamus hominem ad imaginem, et ſimilitudinem noſtram. Audite me vobis eadem repetentem, quod creauerit hominem ad imaginem, et ſimilitudinem ſuam. Et attente audite, ac ſæpe mente reuoluite; ad imaginem, et ſimilitudinem ſuam feciſſe illum: hoc eſt, non bruta, o cæca pectora! ſed nos homines tantummodo mente, et ratione inſigniuit: ac proinde et arbitrii libertate, et animæ immortalitate donauit, et mundi dominos conſtituit. O beneficentiſſimum Creatorem! quam graue fuit Adæ peccatũ (quod ſane non ſine dolore profero) Dei dicto non obtemperaſſe; et quam execrabile! Et hunc vehementem cordis mei dicentis affectum, huius eiuſdem verbi volui anadiploſi ſignificare: quo vel ſic vobis, cunctisq. hominibus, qui ad hanc fidem Dei, eius miſericordia acceſſerint

rint; nõ ſemel admoneam, vt hæc tam ampla Dei in nos beneficia, ac tam ingentem hominum ingratitudinem iugiter recordentur.

MASCVLVM ET FEMINAM CREAVIT EOS. Nec ſolum hac die hominem maſculum, ſicut diximus, condidit; ſed etiam hominem femellam: virum ſcilicet, et vxorem: tamquam primum omnium conſtitueret ſtatim viro procreato primam domus combinationem, quæ viro, et vxore [a] conſtituitur. Vnum dumtaxat marem ex limo terrę, et ex rubea terra, et vnam ex eo tantum femellam creauit: cum tamen ceterorum animalium plura vtriuſq. ſexus cuiuſq. ſpeciei produxiſſet; idq. nec ex maribus feminas. Singulare enim hoc eſſe voluit, ea ſolum vel omnium maxime ratione; vt iugis, perpetuaq. cognatio, et neceſſitudo inter homines eſſet: quippe qui ex vno prodirẽt [b] omnes, ac propterea et ſeſe mutuo, et ardentius quoque amarent: ac ad eandem conſequendam beatitudinem genitos ſe eſſe omnes intelligerent, (quin vellet omnes homines opifex ſaluos fieri?) ad quam Adam, et Eua certo certius ab opifice Deo olim creati fuerant. Atque præterea vnam tantum coniugem vni viro opifex iunxit, vt quid Reipub. quid alendis liberis, quid vnitati, et paci domus magnopere expediret, patenter [c] doceret. Aegre enim ſeruantur hæc, vbi vnus vir plures coniuges habet, vt vobis manifeſtiſſima experientia notiſſimum eſſe debet. Femellam item ex coſta viri productam (vt inferius dicam) ad imaginem quoq. Dei et ſimilitudinem, tam in naturalibus, quam in gratuitis, vt de viro copioſe diximus, opifex fecit; hoc eſt, mentis, et rationis participem, habuiſſeq. illam in Adamo ſanctitatem, et iuſtitiam, atque ius obtinendi regni cæleſtis, quemadmodum et mares [d] habent; incunctãter, et abſq.

a Ex Ariſt. 1. Politic. & in œconomicis eadẽ formula verborũ loquẽte qua hic Moſes; vnde recte Steuchus lib. 4. de perẽni Philoſophia cũ alũnũ Moſi facit.

b Acto. 17. ff. de iuſt. et iur. leg. 11.

c Vide Innocen. 3. de diuortiis, cap. gaudemus.

d Hæc verba impurũ Machumetẽ redarguunt, qui feminas a ſupernaturali felicitate adeũda arcet oẽs quotquot fuerint.

vlla hæſitatione vobis tenēdum docemus. Pars igitur Diuinæ mentis, ac rationis, et ſanctitatis quæ deprehenditur in homine, diſcrimen maris, et feminæ non [a] admittit. Et quamuis vir, Dei eſſe imago præ femina videatur, ſeu aliquando dicatur: id ipſum propterea tantum eſt, quod feminæ ſubiectus, natura nec ſit, nec fuerit vnquam; quemadmodum hæc decreto Dei ſubdita [b] viro nūc eſt: quod ei ſane cōtingit a peccato. A principio namque [c] mulier in eodem fuit gradu, eodemq. imperio digna: poſteaquā vero corruit, capite quaſi diminuta, amiſit imperii maiorem partem, et viro ſubiecta fuit. Maſculum ergo, et feminam; virum, et vxorem fecit eos: ambos ad imaginem, et ſimilitudinem ſuam: ambos, inquam, non vnum tantum hominem fecit; illūq. androginum, [d] ſeu maſculofeminam: ſed duos homines, marem ſcilicet, et feminam produxit; corpore, et anima præſtantes rationali; et abſque aliquo peccato, ac naturæ defectu. Talia namq. fuerunt omnia huius orbis a Deo conditi initia, abſolutiſſima quidem, omniquaque perfecta, atque numeris omnibus abſoluta: quanto magis primi illi homines, totius humanæ naturæ capita, omnimodam a Deo ſibi perfectionem debuerant vendicare?

a Verba ſunt Grego. Nyſſ. In Chriſto enim Ieſu non eſt mas, aut femina: ut dicit Apoſt. ad Gal. 3.

b Ad Coloſſenſ.

c Ita docet Iſidor. in caten. Zephyri.

d Vt impii quidā Iudæi de primo homine fabulantur; ſpurca quædam, et indigna plane dictu cōminiſcentes: contra quos egregie Lud. Viues 3. lib. de veritate fidei.

BENEDIXITQVE EIS, ET AIT. Quibus duobus hominibus a ſe creatis ſecundum omnimodam perfectionem ſuæ ſpeciei, maſculo ſcilicet, et femina; corpore firmo, valido, et viuaci (quale noſtrum ferme eſſe ſolet anno trigeſimo in maribus, in femellis vero a quintodecimo vſque ad vigeſimum) ac proceræ magnitudinis, atque admodum elegantis; benedixit Deus, ac benedicendo auxit, et promouit, noua quadam beneficentia: et quaſi prius beneficium eis conceſſum dono creationis, videlicet eſſe, et vitam rationalem; auctione

quadam, et incremento in maiorem prouentum euexit, ſcilicet vim procreandi ſobolem, et veluti quandam perennitatem, et immortalitatem ſuæ ſpeciei per propagationem eis concedendo: vt nedum ſolum vnum indiuiduum, ſed plura vtriuſque congreſſu procreare poſſent; augendo ſcilicet hoc modo Deus ſuam benedictionem in illis. Cum enim ob hanc præcipue [a] cauſam ſexus muliebris a natura, et maxime Deo, formari videatur, vt marem in procreandis liberis iuuet; quapropter opifex non iudicauit (vt in ſequentibus dicam) bonum hominem eſſe ſolum, hoc eſt, virum abſq. femina: ideo fecit ex eo feminam, ei adiutorium ſimile ſibi; vt poſſent liberos procreare, et conuictum rationalem, ac domeſticum iuxta propriæ naturæ condicionem habere. Ideo primum hominem virum, ac ex eo deductam, et formatam primam feminam matrimonio coniunxit, ac legitima coadunatione copulauit, ac eis benedicendo dixit.

a Quæ etiam cauſa eſt, cur mulieribus ignominia fuerit carere ſobole, ac etiã viris apud aliquos barbaros; & ni fallor, apud Romanos.

CRESCITE, ET MVLTIPLICAMINI. Nedum vos hoc beneficio orno, vt prolem ſuſcipiatis, quinimmo volo vt multam [b] ſuſcipiatis: ac veluti turpitudinem omnem, et obſcenitatem penitus auerſatus, matrimonio iunctis rerum omnium opifex ait: Creſcite, et multiplicamini. quaſi diceret etiam: Nulla vobis de alimentis pro liberis veſtris educandis vnquam adſit moleſta cura, aut ſolicitudo, quæ plus nimium animum veſtrum diſcruciet, ac torqueat: parabo ego cibum affluenter omnibus. In me cogitationes veſtras, et curas potiſſimum proiicite; et ego vos, et ſobolem veſtram enutriam. Solum hoc vellem nunc, et deinceps omnibus connubio iunctis eſſe perſuaſum: ea propter me ſummum opificem cum primum vos maſculum,

b Vide Pſal. 109. & 128.

Pſal. 36. & 54.

1. Petri. 3.

et feminam ad imaginem, et ſimilitudinem noſtram fecerim, vos in matrimonium ad officium naturæ ſtatim copulaſſe; vt diſcatis vos et ſubſequẽtes coniugati nuptiis exercere venerem quomodo imaginem Dei decet, hoc eſt, iuxta rationis præſcriptum; in ſanctificationem ſcilicet, non autem in paſſionem deſiderii; non videlicet ſecundum naturæ impetum, et perturbationes, brutorum in morem, ſicut intemperati faciunt. Et quamuis eodem modo, eademq. oratione vos homines, atque cetera animalia mea benedictione ego opifex allocutus ſim; non tamen id inde deduci a quopiã veſtrum debet (nec enim recte hinc deduci poteſt) nedum veſtræ ſobolis corpora ex [a] parentum corporibus procreari, verum etiam et animas ex eorum animabus traduci: quoniam videlicet et corpora, et animę reliquorum animantium eorum congreſſibus a procreantibus omnes edantur: vt ab iis dumtaxat differant, ac ſeiungantur, quod perennes, et immortales ſint; ceterorum vero diffluant in morte, et euaneſcant. Verum cum alia orationis formula vſus omnino ſim quando creaui hominem, et alia quando creaui animalia cetera; intereſſe hoc quoque inter animarum veſtrarum, et brutorum animalium608 geniturам, non obſcure indicaui: quod veſtrę quidem non ex vi tranſmutationis materiæ, et elementorum proditur æ ſunt: (quod plane eſſet, ſi pater in vobis animam quoq. filii gigneret: neque enim hic poteſt creare) quo modo oriturae brutorũ animæ perenniter erunt. Cum enim hominem creaturus eſſem, Faciamus, dixi, hominem, nos videlicet, non parẽtes: et ſynecdoche eſt, cum ad filios veſtrum primorum parentum hæc oratio referatur. Cum vero producturus cetera animantia eſſem, Producant aquæ, dixi, et Producat terra: quaſi dicerem, Ego quidem nunc animalia prima

a Hæc fuit opinio Tertulliani, Apollinaris Alexandr. contra quos docet Augu. epiſtolis ad Hierony. et Optatũ: quem vt ſolet, ſequitur Eucher. & S. T. 2. contra gen. cap. 86. nuncupans iſtam ſententiam errorem, non hæreſim; quia non conuincitur ex ſacra Scriptura.

ma efficiam; ſed poſthac ex terræ,aquæ, et elemētorum tranſmutatione,illa in integrum,ac generatim prodibūt. Non ſolū igitur animas veſtras,et veſtræ ſobolis immortales firma ratione, atq. catholica fide tenendum eſt vobis;verum etiam non producendas ex traduce,ſeu per generationem; tamquam generans,ſcilicet homo,attingat nec ipſam animam,nec ipſius animæ productionem:ſed ſolum a me per creationem immediate producetur, in materiamq. recte diſpoſitam introducetur.Etſi enim vera ſint futura ſecundum regulas phyſicas omnia iſta, ſcilicet formam ſimul [a] produci, et gigni cum eo cuius eſt forma; et formam [b] nec proprie gigni,nec intercipi, ſed compoſitum: rurſum [c] etiam,ſolem,et hominē eſſe qui generabunt hominem: tamen recte ſemper dicetur, hominum parentes generare hominem, etſi anima a ſolo Deo veſtro per creationem producatur: quia [d] vi ſeminis ita materiam aptant, et præparant,vt certo quodam, et infallibili naturæ ordine, vniatur ei ab opifice veſtro Deo anima,illi ſimiliter aptata,et commenſurata,ac nuperrime creata.Etenim ſatis eſſe videtur, vt efficiens vere et apte generans dici poſſit,ſi hęc efficiat,vt ſcilicet vi ſuę actionis ſimilem formam ſibi ſecundum ſpeciē,id quod gignitur conſequatur:ſiue illa vi,ac tranſmutatione ſeminis emergat, ſiue de foris adueniat. Sic itaq. prima combinatio hæc maris,et feminæ, et inſtar illius reliquæ omnes in humana ſpecie,prolem gignent,producēt,et multiplicabunt,quantum ad corpora, et quātum ad animas. Cuius generis nuptiæ,quæ carnalem hominum propagationem per maris cum femina congreſſum facient; poſt veſtri ruinam,ſi cecideritis videlicet:abſque dubio etiam facient,ſi in paradiſo terreſtri in officio [e] perſtiteritis.alias enim fruſtra ego diſcrimen ſexuum ante veſtrum peccatum

a 12. *Meta. tex. 16.*
b 7. *Metaph.*
c *Phyſic. tex. 26.*
d *Sic explicant rē hāc Philoſophi 12. Metaph. et Capreolus 2. diſt. 15. q. 1.*
e *Contra hoc tenēt D. Greg. Nyſſen. lib. de homine c. 19. Procop. in Geneſ. cap. 4. D. Chryſoſ. homi. 18. Damaſcen. lib. 4. cap. 28. Barceph. parte 1. cap. 25. et alii primæ notæ Patres: omnes ii dicūt, huiuſmodi nuptias non futuras in paradiſo terreſtri, ſi Adamus nō peccaſſet. Contrarium tamen eſt verum, vt dicimus; et docet Auguſt. 9. ſuper Geneſ. cap. 3. 6. 7. et oēs Scholaſtici cū Magiſt. 2. diſt. 20. Vide Vielmium pag. 321. in margine.*

tum feciſſem, et vtrique veſtrum organa incaſſum exhibuiſſem, quibus generare poſſetis. Nec ratio vlla patitur, vt vſus eorum ante peccatum, in ſtatu iuſtitiæ in qua cōdidi vos, probabilis non ſit; ita enim ordo exigit naturę, vt in quauis genitura virtus actiua, et paſſiua ſimul exiſtant, ſimul coeant: quarum prior eſt in mare, poſterior in femella. Nec gratia legitimam Dei veſtri ordinationē in natura tollit, ſed iuuat, ſed perficit. Horſum igitur vos ego opifex feci vnum hominem marem, et alteram femellam, et fauſtam hanc benedictionem vtriq. veſtrum dedi; vt fructus ederetis, et multiplicareris: vt euidens, ſcilicet, fiat vobis, vnumquemq. veſtrum, ac omnes veſtræ ſpeciei (quamuis femellam magis) natura, atq. adeo dono Dei veſtri per creationem, appetere, ac futuras fore in hoc etiam ſtatu feliciſſimo honorabiles nuptias, et torū immaculatum: et proinde nullam in eo fore fœditatem, nullam turpitudinem, nullumq. genitalium motum nō a ratione, et voluntate hominis perſcriptum, nullum inhoneſtum libidinis ardorem, et impetum. Sane turpitudinem omnem, omnemq. intemperantiam ſolum peccatum inuehet: ſicut et erubeſcentiam, quam non fuiſſe vobis modo in hoc iuſtitiæ ſtatu, fiet vobis palam, ſi non in ea permanſeritis. Procreabitis ergo vos, Adamus, ſcilicet, et Eua, ſi ſteteritis, non quidem ad conſeruādam ſimpliciter ſpeciem; quoniam iuſtitiæ originis dono immortales eritis futuri: ſed ad eam in hoc ſenſili mundo, et inferno conſeruandam, quoad vos, parentesq. hominum reliqui in cæleſtem paradiſum viui conſcendant. Et rurſum ad augendam prolem in Dei veſtri cultum, et gloriam, inq. multorum ſalutem. Ac etiam poſtremo vt eā, quam vnus homo per ſeipſum non habet, vitæ ſufficientiam, et felicitatem (ſolus namque imbecille animal eſt) mul-

multorum ope, hoc eſt, ex ciuili ſocietate omnes reportetis. Minus enim ſuauis, et minus iucundus eſſet vobis primis hominum parentibus, abſq. ſocietate, et prole, paradiſi, et terræ huius incolatus? Et multo magnificentius egiſſe ego Deus exiſtimabor, me innumerabilibus hominibus beatitudinem paraſſe, quam ſolis vobis duobus. Vt videatis ex iis, domos, pagos, et vrbes in ſtatu feliciſſimo iſto minime huic orbi eſſe defuturas: atq. adeo nec œconomicen, nec politicen, nec ceteras honeſtas diſciplinas, et artes. Et deſinatis admirari, ſi vtrumq. vobis dictũ fuit, Procreate, et augete: proculdubio mares, et femellas. Hæ namq. ſicut et illi ad electos pertinent: quorum numero, et integritati cum primis conſuluiſſe me hac lege, facile ſatis vobis credẽdum eſt. Pręterquam, quod certum eſt, vtrumq. ſexum ad integritatem, et perfectionem ſpeciei humanæ ſpectare. Quamuis enim femina non tam ex intentione particularis naturæ, quam occaſione potius, ac imbecillitate virtutis ſeminis deinceps edẽda ſit (quamobrem et mas [a] læſus dici debet, quod ſexus femineus læſio potius ſit, et detrimentum naturæ: feminam [b] enim gigni eſt in principio degenerari ab agente) nihilominus ita conſtitui ego, vt vniuerſalis natura, quæ cum primis vniuerſi integritati proſpicit: vt et hæc nullo vmquam tempore deſit. Nec ſatis conſtanti ratione probabile ſit vobis, ſemen progenitorum futurum eſſe in hoc feliciſſimo ſtatu, et loco ſemper viuax, hoc eſt, perfecti caloris, et roboris. Etſi enim videatur defectus quidam maris, et detrimẽtum quoddam naturæ, vti modo dicebam, cum ſemen minus calidum, ac minus potens emiſerit, ac proinde cogatur natura formare feminam; non tamen hoc genus defectuum iſte ſtatus repudiabit: immo erit conueniens, et per ſe intentus, ſecundario tamen, editus feminarum

a Ita Ariſt. 2. de genera. anim. cap. 3. & lib. 4. cap. 6. quamuis S. T. 1. p. q. 102. art. 1. citat Philoſophum aliis verbis, ſcilicet, Femina eſt mas occaſionatus: forte ſecundum aliam verſionem.

b Sic Ariſt. ibidẽ lib. 4.

narum

narum, ſine quibus minime poterat humanæ ſpeciei ſoboles propagari. Quo certum eſſe vobis videtis, hac eadē ſexta die feminam fuiſſe in veſtra ſpecie a me cum mare formatam; nō autem diuerſis diebus, ſcilicet marem hoc ſexto, feminam in ſeptimū diem, ſcilicet craſtinum; diſtinctim: ſed eodem die ambos vos, ac etiam eodē; hoc eſt, hac ſexta die vobis datam fuiſſe benedictionem ad generandum in magna copia filios, ac filias, vobis ſimiles in natura ſpecifica. Qua benedictione primum omniū vobis primis parentibus ſpeciei humanæ, ac reliquis hominib. tam viris, quam feminis, poteſtatem, et vim procreandi conceſſi, dicens: Vim habetote procreādi. Et ne quis putet, vno, aut altero veſtrum cōgreſſu, hanc penitus vel extinctam, vel exhauſtam iri; volo vt viuat, et perēnis ſit; atque adeo vt multiplicare ſobolem poſſitis. Hominem enim cum ob maximum calorem, et ingentem humiditatem, quæ ex ſui compoſitione participat, omnium terreſtrium animalium ſalaciſſimum fecerim; toto vitæ ſuę tempore poterit filios procreare. quod ſi ſenio confectus id efficere non poterit, non erit ex huius virtutis, et poteſtatis labefactatione: ſed organi. Si enim ſenex oculū [a] iuuenis poterit accipere, perinde videbit ac iuuenis: ſic omnino ſi ſenex corpus, et organa ad congrediendum idonea, ceu iuuenis nanciſci poterit; fetum, prolemq. eodem modo ſuſcipiet. Viuax ergo, et perennis ſit in homine poteſtas procreandi. Et quemadmodū volucribus dedimus facultatem perennem vt poſſint volare, ſic et homini vt poſſit filios generare. Quæ facultas ſit ei natura inſeparabilis: quamuis organi labefactatio in ſenectute illi impedimento ſit, quo minus facultatis ipſius exercitium, et effectum habere poſſit. Cuius facultatis procreatiuæ exercitium rationis imperio ſuberit non vt facultas eſt, ſed vt

[a] *Sic philoſophatur alicubi Ariſt.*

actum

actū per organa rationis imperio ſubiecta exercet. Quod facillimum ei erit, dum in pubertatis ſtatum, et originalē iuſtitiam ſeruabit. Illo enim amiſſo, ægre, et cum difficultate id aſſequetur homo, præſertim in adoleſcentia: quo tempore prona maxime natura humana erit ad [a] voluptates, vti frequētius vſu homines experientur. In cuius rei confirmationem vos primi hominum parentes iſto feliciſſimo amiſſo ſtatu, confeſtim (vt videbitis ſi cecideritis) ſentietis inobedientem motum carnis veſtræ, tamquam reciprocam pœnam inobedientiæ veſtræ. Hac etiā benedictione ego ſummus rerum omnium opifex vobis primis hominum parētibus, ac veſtræ poſteritati [b] legem fero de propaganda ſobole; quemadmodum de eadem etiam piſcibus a me indicta fuit. Cum enim Dei veſtri ordinationem quamcumq; atque decretum, communi ſapientum veſtrorum qui erunt conſenſione, legem oporteat appellare; ac ego Deus decreuerim quædam certa, et determinata circa res omnes, iuxta naturæ tamen cuiuſq. conditionem; terminum videlicet aquis, ne tranſirent fines ſuos: locum infernum grauibus, vt in illum ferantur propter ſuæ naturæ conſeruationem, et alia id genus: nō mirum ſi dicam, nedum vobis hominibus ratione præditis, verum etiam rebus cæteris vel rationis expertibus; mortalibus, et immortalibus; animatis, et inanimatis; quæ ſenſu percipiuntur, et quæ ſenſum omnem effugiunt; leges, et præcepta me [c] præſcripſiſſe: Ergo benedicendo vobis, Adamo [d] videlicet, et Euæ; mandatum tradidi vobis; ac reliquæ veſtræ poſteritati, de ſobole propaganda mandatum (inquam) cum fauſta precatione latū: non vero ſingulis quibuſq. ſigillatim ſubſecuturis hominibus, ſed hominum multitudini, et communitati; et etiā ſingulis [e] latum fuiſſe exiſtimate, non tamen pro ſemper

(vt ita

a Ita adnotat Scotus 4. diſt. 1. q. 6.

b Aliqui catholici viri dicunt, hanc benedictionem nō fuiſſe legem: ſed melius ſentiūt qui contrarium putāt, vt ſtatim patebit.

c Hæc eleganter excurrit Barceph. 1. parte. Hoc teſtari videtur Pſal. 147.

d Ita priſci Doctor. maxime ſcholaſtici, 4. d. 26. q. 1. & S. T. & Duran. & hic Caiet.

e Ita Scot. & Almayn. et alii multi.

(vt ita loquar) ſed in quibuſdam dumtaxat euentibus, et caſibus: obligans videlicet, ſi quando humana veſtra ſpecies valde minui videatur. Quare hac etiam benedictionis forma et conceſſionem congreſſus viri cum vxore vobis ſignificaui, ne vmquam tibi Adamo ſubire debeat in mentem, cum recte quoq. concubitū exercueris, Deo tuo rem odibilem facere. Quod nihilominus inſani homines [a] aliqui aliquando exiſtimabunt. Etenim cum homo rem vxoriam iuxta præceptū Dei ſui exercebit, hoc eſt, cum coniuge; rite, ac recte naturæ poteſtatem, atque vim præſtabit: quæ vniuerſo hominum generi, ſingulisq. eius indiuiduis, mea benedictione, id eſt, eius incremento beneficentiæ, cum eſſentia indita fuit, et quæ facultatem vegetatiuam [b] effluxione vbiq. hoc eſt, in omnib. viuentibus ſequitur, et ab ea tamquam germen a radice pullulabit. Odibilis ergo coniugii cōcubitus, et ingratus mihi non erit. Quod vt ipſe explicem, palā, atq. patenter rem vxoriam conceſſi, et aſſignaui. Et id quidem non frigide, ſed ardenter, videlicet vobis præcipiendo, et [c] mādando. Nec vobis hunc matrimonii actum, qui homini vſum rationis [d] obruit, et veluti abſorbet; qui etiam raro, [e] aut numquam exerceri abſq. peccato poterit, vel ſaltim veniali; præcipue cum voluptatis cauſa ab hominib. exercebitur, vt ferme fiet, ſi ab hoc iuſtitiæ ſtatu cecideritis; vobis præcepto iniunctum a me fuiſſe, durum eſſe videatur. Nam licet, ſi vos ipſos in hoc ſtatu, ſcilicet innocētes ſpectetis, nullum iſta vobis exhibebunt negotium: vos namq. ſi ſteteritis, quamquam maiori delectatione eritis in venere affecti, quam poſtea homines generatim ſi peccauerint, afficientur; (etenim corpus habetis modo purius, et nobilius, magisq. perceptiuum) vis tamen concupiſcibilis non ſic ſe delectatione, et prurit u relaxabit in coitu

a *Quales fuerunt Tatianus, & Encratitæ, qui nuptias damnarunt: de quibus agit Paul. 1. Timoth. 5. Ireneus lib. 1. cap. 30. Epiphani. lib. 1.*

b *Ita ait Ariſt. 2. de anima 36. & 1. Politic. 1.*

c *Vt magis communis opinio docet.*

d *Ita Ariſt. et D. Auguſtin. de bono coniugali lib. n. de Trini. cap. 4.*

e *Aug. vbi ſupra, & S. T. et meliores Theologi ſentiunt.*

coitu, vt prorſus diffluat, ac inſaniat; ſicut ſi peccato commaculemini, defluet, ac inſaniet: ſed a ratione cohibita, moderatum habebitis feruorem. At ſi vos ipſos, ac ceteros quoſq. veſtros lapſos iam in peccatū contemplemini; dici [a] poteſt, etiam in ſomno obrui rationis vſum, et neminem nihilominus vituperare dormientes: eo enim ego mundi opifex, rector, et conſeruator, naturæ animalium conſului. Sed vt rem hanc vobis luculentius explicem, alia ratione eam vobis me oportebit aperire, eaque potiore: diſpar enim vtrobique, et aperta inuenitur ratio. Licet namque ſomno videatur mens, et ratio tantiſper obrui; attamen eo et vires corporis inſtaurantur, (eſt enim naturæ coquus) et ſomnus reficit artus, vigilia, et venere defatigatos. Quamobrem et hæc quatuor ſeſe conſequi hoc ordine dicentur, exercitium, cibus, venus, et ſomnus: et experrectis aderit vobis mens validior ad contemplandum, quod ſomno phantaſmata, et ſpectra veluti depurentur: vt proinde maior fiat compenſatio. Atqui venus colliquabit corpora, ſternet vires, et robur, accerſet canos, obtundet aciem viſus. Cuius rei indicationem a pueris virginibus capere poteſtis: ſunt enim acutioris viſus non virginibus, et vocis magis acutæ, et anhelitus [b] melioris, et bene olentis. Rurſum venus magnopere contemplationi obeſt, vt ratio aperte vos docebit; trahuntur enim in ea ſpiritus ad genitalia, et prorſus abſumuntur: at vero contemplatio in contrariam partem; trahit enim ſpiritus in cerebrum, et ibi reſoluuntur: ſunt autem aſcenſus, et deſcenſus [c] contrarii motus. In quo amplificando argumento magnas quoque ſuppetias habebitis, ſi ſemen labi a cerebro per [d] ſpinam volueritis exiſtimare. Ad hæc ſomnus ad tuendam valetudinem, et vitam neceſſarius vobis cum primis erit:

[a] *Ita reſpōdet Scotus 3. diſt. 21.*

[b] *Ita Ariſtote. 4. problem. 13. Ita docet Auicen. 7. Phyſic.*

[c] *Hæc ſunt ex Galeni ſententia, & ſequacium.*

[d] *Vt docet Ariſt. 1. de gener. anim.*

reficiet enim artus (vt dixi) venus vero minime; quin potius noxia, vt dicebam. Quo fiet, feminas maribus eſſe longioris [a] vitæ, vel quia ſemen non emittent, aut certe parum. Tamen multus quoque ſomnus, et intempeſtiuus [b] improbandus proculdubio vobis eſt: qui remiſſos homines faciat, obliuioſos, et ſegnes; atque impediet, ne facile, et opportune officia veſtra poſſitis adimplere: preterquã quod dũ dormiet homo, parũ, vel nil differet felix ab infelice. Non eſt igitur, cur immoremini, et veluti fruſtra conferatis ſomnum cum venere, damna ſomni cum damnis veneris. Itaque ſic vobis dicendum de hac re eſſe videri debet, videlicet, me vniuerſum opificem, et prouiſorem præponderaſſe conſeruationem ſpeciei, et perennitatem, quæ de conſtitutione, et perfectione (etſi non præcipua) mundi eſt, tantillo ſingulorum hominum bono, tantillo (inquam) ob temporis breuitatem, quo obruitur ratio, et plane abſorbetur. Quibus etiam addite, quia lex iſta data a me ſingulis diuiſim non eſt, ſed communitati, hoc eſt, omnibus vna coniunctis. Quod perinde eſt, ac ſi vna cum lege, liberam cuique diuiſim facultatem fecerim, aut cælibes permanendi, aut certe contrahendi nuptias, ſi maluerint; niſi ob paucitatem hominum ſpecies veſtra humana valde minui aliquando videretur, quemadmodum iam diximus: vt hac ratione ad cælibem vitam, quæ mihi ſemper erit (niſi coniugii neceſſitas immineat) admodum [c] grata, ianua, et aditus minime præcludantur. Deinde connubii actus, ſuapte natura, ac præciſe ſumptus, cum indifferens [d] ſit futurus, abſque aliqua culpa, etiam veniali, exerceri poterit: nam etſi cum actu fornicationis ſimilitudinem, et proinde fœditatem quandam, et turpitudinem præ ſe ferre vobis [e] videbitur; non hoc certe ſatis erit, vt eiden-

a Ibid. Ariſt. c. 19. et idẽ de longit. et breuit. vitæ.

b Vnde improbatur a ſapiẽtiſſimis viris, maxime Homer. 2. Iliad. Platone 7. de legib. et 7. de Republic. & Ariſtotele.

c In huius verita tis ſignũ Abel ante diluuiũ, Melchiſedech poſtea virgines fuiſſe creduntur: de quib. extat D. Ignatii ſententia; de Elia item D. Ambroſii.

d Hoc S. T. 4. d. 31. q. 2. ar. 3. et Duran. ibidem.

e Quamobrẽ mox a peccato primi homines ſolo genitalium pruritu, & motu (vt inferius dicetur) erubuerunt.

denter demonſtrarem eſſe peccatum: ſed quæ actui illi adiacent circunſtantiæ, ſunt quæ eum accuſabunt. Ex quibus proueniet, vt numquam, aut raro actus coniugii ſine peccato, ſaltim veniali, poterit exerceri. Quod ſi fidelibus hominibus, ſacri veſtræ ſobolis viri, ſpiritu Diuino [a] pleni, ſecundum indulgentiam tantum, matrimonium aliquando veſtris ſucceſſoribus conceſſerint: non id intelligi debet, quod connubia improbent, vel res malas eſſe inſinuent: nec expendent, quid vniuerſum exigat, ſed quid cuiuſque ſalus, et commodum ſeorſum expoſtulabit. Etenim cælibes et multo facilius vacare contemplationi (quæ præſtantiſſimum opus eſt creaturæ rationalis) et rebus Diuinis dare operam commodius poterunt: leuioribusque incommodis, et moleſtiis afficientur, quam vxorati: quæ certe plura ſunt, quam vt a vobis nunc in hac vita, in qua conditi fuiſtis, et iuſtitia, qua fruimini, experiri [b] poſsint. Lex igitur de connubio celebrando, hac benedictione iniuncta hic fuit vobis a me, non quidem tibi viro hominum omnium protoparenti, ſeorſum a ceteris, cum ſit indicta communitati: ne ſinguli quique homines prætendant, inobedientiæ reatum incurrere, ſi omnes, et ſinguli quique a nuptiis abſtinuerint: quia qua ratione huic, vel tibi lex iſta data diceretur, aliis etiam data facile dici poſſet: quod ab omni alienum eſt veritate. Quo fit, actum connubii excuſari, tum ab intrinſecis, matrimonio ſcilicet, propter [c] fidem, et prolem; tum etiam ab extrinſecis, et quæ ei, ſcilicet matrimonio, tamquam adiecta videri poterunt: nempe propter obedientiam huius [d] legis, remedium aduerſus concupiſcentiæ æſtum,

a Vt Paul. 1. Corinthi. Vnde cum grano ſalis intelligenda ſunt multa Iuris Cano. capita; ut 32. q. 4. cap. origo. & 33. q. 4. cap. vir cum propria. vbi actũ connubii primo turpem, ac fœdũ non ſemel nuncupauerunt, et vix a mortali abſoluerunt. Vtuntur ſane ibi Patres hyperbol.

b Illa tamen vtcumque recenſent D. Ambroſ. in primam ad Corinth. D. Pauli, & D. Hieronym. contra Iouinianum.

c Ita Durand. 4. d. 31. q. 3. & recte.

d Et in lege Euangelica Sacramentũ quod adiectum eſt a Chriſto matrimonio.

commoda vitæ plurima; quæ num præponderent incō-modis,non eſt cur in hoc explicando tempus [a] teramus: ipſi videritis. Hæc igitur ſibi vult iſta fauſta, et felix benedictio,qua ego opifex vobis hominibus creatis benedixi; vt modo iam dicto ſobolem in magna copia propagare [b] poſſitis.Quam nedum piſcibus,et auibus,et hominibus me dediſſe putandum eſt: ſed etiam arboribus, fructibus, et herbis, ac cunctis animalibus terreſtribus, quæ prius a me cōdita ſunt,et producta. Priora etenim in poſterioribus debent ſæpe comprehendi; præſertim quando hæc et perfectiora ſunt,et inſigniora prioribus. Igitur animalibus quoque omnibus quæ hodie,ſicut et vos homines prodierunt,dictum quoque ſimiliter fuiſſe ſentite, quod vobis hominib. dictum fuiſſe cōmemorauimus, videlicet,quod benedixi eis,et dixi: Creſcite, et multiplicamini. Nec ſane non ſatis eſſe debuiſſet vobis exiſtimare,me explicaſſe tantum benedixiſſe piſcibus, omnium animalium imperfectiſſimis,et a cōſuetudine hominum omnino alienis: atq. etiam auibus,omnium animalium ſalaciſſimis: ac denique vobis hominibus,omnium perfectiſſimis,et abſolutiſſimis: quod perſpiciam,vos ex iis facile aliis,videlicet plantis,et quadrupedibus,ceterisque animalibus terreſtribus datam a me fuiſſe eandem benedictionem,intelligere potuiſſe.Nec enim hanc rerum geneſim obeſis, et rudibus propono, et explico; ſed vobis perilluſtribus,et excellēti ingenio prҽditis,ҫ omniq. ſcientia pollentibus.Quamobrem ſatis mihi polliceor,vos ex iis quæ dixerim, aliarum rerum cognitionem collectione,et ratiocinatione quadam fore conſecuturos.Cum enim iam expoſuerim vobis, meam benedictionem fore neceſſariam ad augendam,et ſeruandam ſpeciem:et ſpecies animalium perfectorum de integritate magis eſſe mul-

a Hāc diſputationem lege in auctore Siluæ nuptial.

b Num Deus ſolis piſcibus, auib. & hominibus benedictionē ad generandum dederit,explicatur.

*c Sic reſpōdet acutiſsimus Caiet.imo Aug. quamuis D. Aug.& Diodorus plātas aſſerant nō fuiſſe hoc benedictionis bnficio donatas, ob craſsitiē carū,quæ ſenſu carēt,ex 2.de anim. et hāc bnedictionē percipere non potuiſsēt. Sed quomodo ficulnea Chriſti maledictionem paſſa eſt? Moſes etiam Geneſim ſaltim quoad primū, ſecundum, et tertium capitul. non tradidit niſi viris ingenio grauiſsimis, propter intelligentiæ horū capitum obſcuritatem:quod factū eſt, vt deinceps primo

multo, et ornamento mundi, quam eorum quæ minus perfecta ſunt: vt ex iis a me iam dictis licet vobis colligere. Conſequēter poteſtis intelligere, hanc benedictionem eis quoq. non fuiſſe denegatam, quod viſuri eſtis, commixtione, et coitu illa augeri; exceptis quæ ex putri gignūtur. Nam aſſerere,[a] quædam animalia abſque coitu, ſolo vento, et aura concipere; ſi de perfectioribus id dictum fuerit ab aliquo veſtræ ſobolis, ignotum penitus erit vobis, et ſuſpicione falſitatis non carebit: quia diſcrimen ſexuum fruſtra in eis ego feciſſem cū natura. Tametſi negandum non eſt, ventum, et auram ſolita fore matricem aptare, ad cōceptionemq. fetus iuuare: Aquilonem quidem marium, Auſtrum vero feminarum. Porro hāc benedictionem non eſſe certo generi, ac determinatis ſpeciebus dumtaxat conceſſam, quod eſſent natura ceteris perfectiores; ſatis exiſtimo me vobis aperuiſſe, cum dixerim, piſces, et aues eam obtinuiſſe; quæ animalia [b] ſunt terreſtribus quadrupedibus minus perfecta. Et cum vos homines, omnium animalium vertex, et princeps, eam fueritis conſecuti; planum vobis ſit, non ſolum animalia minus perfecta, piſces ſcilicet, et aues; ſed etiam omnia perfecta, quæ media ſunt, ſcilicet terreſtria quadrupedia, illam fuiſſe adepta. Hac ergo ratione colligite, ſi hoc Dei veſtri beneficium, quod ad naturæ perfectionem, et complementum, ad ſpeciei perennitatem, hoc eſt, vt animalia ſpeciem conſeruare poſſent, et vt hominum commodis, et mundi ornamento opifex conſuleret, neceſſarium magnopere eſt, fuit imperfectioribus animalibus cōceſſum; quomodo exiſtimandum eſt, id ipſum benedictionis beneficium non etiam perfectioribus animalib. ſcilicet quadrupedibus, quę vt ſunt vobis hominib. vſui meliori, et commodis maioribus ita mūdo non minorem

res Reipub. Hebræorū vetuerint lectionē huius primi cap. omnib. qui trigeſimum annum non attigiſſent.

[a] *Vt aſſerit Lactātius lib. 4. cap. 12.*

[b] *Ita, ni fallor, uerū eſſe ſemper exiſtimabo generatim loquēdo: quamuis aliqua ſpecies terreſtris quadrupes ſit imperfectior aliqua ſpecie piſciū et auiū: vt mus imperfectior eſt aquila, & thynno; & lacerta imperfectior coruo, et delphino.*

afferunt vetuſtatem, et elegantiam quam piſces, et aues; fuiſſe conceſſum? Benedictionis igitur huius beneficio vos Adamum, et Euam ſummus ego opifex donaui, vt filios, ac filias in magna copia ſuper terram gigneretis.

ET REPLETE TERRAM. Atque item addo vobis dicens: Ac veſtra ſobole, quam tantam eſſe iubeo, totum orbem terræ replete: adeo vt nulla ſit eius conſpicua pars et inſignis, quæ hominibus careat: atque etiam nullum ſit continens, nulla inſula, nulla denique terre zóna, a quantumuis torrida; quæ hominum habitationi nó pateat. Conſultum namq. in hac re eſſe volo et terræ, vt vbiq. ac tota hominibus ornetur; et homini, quod commodius, iucundiusq. degere, et alimenta largiora, nimirũ fruges, et holera, et id genus alia, ad vitæ ſufficientiam abea capere poſſit. Terra enim niſi aſſidue præſcindatur, et excolatur a vobis, ſterilior erit: et regiones, quæ nimia ſobolis veſtræ frequentia incoli contigerit, minus ſuppeditabunt, quam alendæ multitudini veſtræ ſit ſatis. Quamobrem fruges quoq. et obſonia carius vobis comparabitis. Quare oportebit, veſtrã progeniem, et ſobolem adeo copioſam per totum b orbem terræ diffundi.

a Vnde Ptolem. et Ariſt. hoc Dei uerbo, quod experimento Hiſpani, et Luſitani ſuis nauigationib. verũ eſſe didicerunt, allucinatos fuiſſe conſtat, inhabitabilem facietes zonã torridam.

b Quibus uiri grauiſſimi iis Diuini opificis verbis animaduertãt, ſi Adamus in innocentia perſtitiſſet, cũctos homines minime in illo terreſtri paradiſo (cum ſane terræ partẽ illũ eſſe ſit aſſerendũ) manſuros fuiſſe.

ET SVBIICITE EAM. Adeo, inquit etiã opifex, vos fortes robore cõdidi, vt terram pro futuro anno, et deinceps, vobis ſubigere confeſtim poſſitis. Non enim terra, vobis nunc a me tradita, vobis eſt ſubiecta, et quæ ad veſtrum libitum fruges pariat; ſed ſubiicienda vobis: (poſui enim te Adamum ego Dominus in hoc paradiſo, vt colas, et cuſtodias illum) ita igitur concedo vobis, et reliquo ſemini veſtro dominium in terram, vt tamen vi, et arte eam vobis obtemperantem faciatis. Proindeque oportebit, homines, quantumuis in ſtatu innocentiæ perſtiteritis, inſtrumentis terram colere; et fruges vobis, et alimen-

alimenta ex caſtatis temporib. acquirere. Non enim hęc vltro, et abſq; opera veſtra, ſine agricultura, fruges, et holera deinceps eſt paritura: contumax a enim adeo eſt, vt niſi veſtro ſtudio, et diligentia, inſtrumentis quibuſdam arte veſtra excogitatis et fabricatis, eam excolueritis; minime vobis alimenta neceſſaria, et conuenientia ſuppeditabit. Nullus enim ager, quantumuis fertilis, abſq. cultu fructuoſus b erit. Sicq. ſemper in quocumq. ſtatu, quantumuis felici, in terra, et de terra vixeritis; agricultura, fabrilis, piſcatoria, aucupium, et id genus aliæ artes, ad ſubiiciendam vobis terram, et animalia omnia, erunt ibi neceſſariæ. Ad ſubiiciendam, inquam, vobis terram, agricultura: ſecundum quam ſuccidetis, et extirpabitis nemora, ſpinas, et vepres, et alia id genus, eam colere prohibentia: agricolate igitur terram, quo inde fruges habeatis, et poma; et dominio veſtro in veſtram vtilitatẽ, et commodum, atque arbitrium ſubiugate.

a *Hęc contra Ioſephũ lib. 1. cap. 2. oppoſitum tenentem.*

b *Ita docet Cicer. 2. Tuſcul. niſi forte inſulæ, quas fortunatas dicunt, in quibus agri aliqui ſunt ſine cultu fructuoſi.*

ET DOMINAMINI PISCIBVS MARIS, ET VOLATILIBVS CAELI, ET VNIVERSIS ANIMANTIBVS QVAE MOVENTVR SVPER TERRAM. Piſcatione, et arte piſces maris in veſtros vſus, atque delicias eos capiendo, et conuertendo. Maris enim, piſciumq. natura ea eſt, vt non patiatur, vt cum eis vos homines aliter congrediamini, quam hamis, retibus, dolis, et fraudib. (ſi tamen veſtri huius iuris vindicationem, dolum et fraudem volueritis appellare) quemadmodum et aucupium. Quæ quidẽ piſcium ſubiugatio a vobis exequetur non abſque aliqua corporis exercitatione; ea c tamen bona valetudo vobis vel parabitur, vel conſeruabitur, vel augebitur, cũ tempeſtiue fiet; (iugis enim non erit) ac neq. ſine inſigni animi voluptate. Quæ quantum iuuabit bonam valetudinem, nemo

c *Hinc cõuinci debent de imprudentia, qui dicunt, piſcationem indignã eſſe libero, et ingenuo homine; et relinquendã eſſe ſeruis, & mercede operis victum parantib. quia ſic opifex Deus (ſi ita fas eſſet loqui) parum prudenter, et nos parum amans dixiſſet; Dominamini piſcib. & c.*

veſtrum non intelliget. Præterea cum vobis in animalia reliqua, ſicuti etiam in piſces, aues, et dominium dederim, non tamen in iis executionem ad hanc habendam; oportebit vos circa reliqua animalia, volatilia ſcilicet, et terreſtria, (ſicut regiones robore, et arte a feris eſtis vobis vindicaturi) ingenio, artibus, et induſtria, aucupio, et venatione vti, vt vobis obedientiam a piſcibus, auibus, et feris, et denique a terra (vel inuitis quoq. et contumacibus) poſſitis obtinere. Quamuis ſi permanſeritis in hoc innocẽtiæ ſtatu, in quo creati eſtis, id nulla moleſtia, ac defatigatione, nulloq. vitæ periculo, ſed magna cum voluptate, deliciose, a non laborioſe id poteritis vobis preſtare. Si vero mihi inobedientes fueritis, nedum vos e tam feliciſſimo ſtatu, quem nunc poſſidetis, eiiciam; verum alium adeo infelicem vobis comparabitis; vt in eo miſere, et laborioſe admodum, et cũ maxima animi moleſtia, corporiſq. graui defatigatione, vitæq. veſtræ magno diſcrimine, huius dominii in reliqua animalia, omneſq. terræ regiones, ad comparanda vobis ad vitam neceſſaria, et ad delicias e mari, et terra, et ex eis quæ in eis procreantur, et prædi-tura ex eis ſunt, capeſcendas, executionem cõſequemini. Nam etſi in quocumq. ſtatu, ſiue iuſtitiæ huius primeuæ, ſiue peccati poſt illam vixeritis, oportebit b vos ad facile ſubiugandam terram, et omnis generis animalia, et commoda vitæ veſtræ corporali ex illis capienda pro libito veſtro, varias artes exercere: videlicet agriculturam, venationem, piſcationem, lanificium, et aucupium; atque adeo aratra, et ſarcula, et retia, et laqueos, et ſagittas, et hamos, et id genus organa vobis ad id ipſum conficere. At vobis in ſtatu vitæ miſeræ, et naturæ ob veſtram culpam corruptæ conſtitutis, hæc omnia ſimili modo vobis ipſis præſtabitis quidem: in eundem finem,

iiſdem

a Ita docet Augu. cuius verba ſunt iſta.

b Adamus, et reliqua eius ſoboles in ſtatu innocẽtiæ exercuiſſet artes mechanicas, ad terrã, et omnia animalia ſibi feliciter ſubigẽda: & vſum ferri habuiſſent certe, quo commodius votorũ, rerum cõpotes efficerẽtur. Licet enim Samogitæ, qui ſunt vltra Moſcouiã, inſtrumentis ligneis terram ſcindãt ob indigentiam ferri; id tamẽ maiori labore, et incõmodo: & ſicut tunc homines fuiſſent præſtantioris ingenii, quam nũc generatim ſunt, (licet nõ oẽs æquales eſſẽt; ſicut nec æque ſapientes, et prudentes: quare ſapientiores fuiſſẽt aliis præfecti) ita etiã modo quodã præ-

iiſdem artibus, et auxiliis; quibus etiam ſimiliter et corporum ſaluti exercitio conſulatis; et cùm animalia, tum verò terram vobis facilius ſubigatis; ſed tamen cum magno periculo ſalutis, et vitæ; et animi, et corporis moleſtia. Vobis igitur hoc ius, et hunc principatum in animalia omnia, non ea tantum ratione dedi, vt meam erga vos dilectionem, et charitatem patentius aperirem: ſed et præterea, ne vllo vnquam tempore vobis ſubeat in mentem, ea vos vſibus veſtris iniuſto titulo vendicare. Nam cũctorum et Creator, et Dominus cum ſim, transferre in vobis abſque eorum iniuria dominium potui: ac etiam quia ſpecie, hoc eſt, forma, et differentia, eis in vniuerſum omnib. et ſingulis multo perfectiores eſtis, multoq. inſigniores; vtpote quod ad imaginem, et ſimilitudinem noſtram a nobis cõditi [a] ſitis. Non ſic autem vos homines hominibus præcellentiores eſtis futuri: quippe qui vnius ſpeciei infimæ, et in alias indiuiſibilis, omnes eritis. Quapropter, naturę veſtrę iure, vnus homo alterius hominis nec dominus erit, nec vnus in alterum dominii ius habebit. Etſi vnus aliis in regimine, et gubernatione veſtri generis fuerit præferendus.

cellẽtiori, et præſtãtiori artes exercuiſſent, atque nos in præſenti exercemus.

a Dur. tractat. de poteſt. eccleſiaſt. docet, hoc loco hominem fuiſſe verbo Dei conſtitutũ dominũ animaliũ; nuſquã tamen legi vnũ hominẽ fuiſſe conſtitutum a Deo dominum ceteror. hominũ. vnde iure tantum gentium id prouenit.

DIXITQVE DEVS: ECCE DEDI VOBIS OMNEM HERBAM AFFERENTEM SEMEN SVPER TERRAM; ET VNIVERSA LIGNA QVAE HABENT IN SEMETIPSIS SEMENTEM GENERIS SVI, VT SINT VOBIS IN ESCAM. Iam cum opifex intelligeret, alimentũ ad ſeruandam vitam hominib. apprime eſſe neceſſarium; clemẽtiſſimi patris (cuius eſt filiis theſaurizare) functus officio, noſtri generis primis principibus, ac ſubinde eorũ futuræ ſoboli, de eo confeſtim, largiterq. prouidit; et in eorum gratiam, animalibus etiam

2. Corin. 12.

Matth.6. ceteris non laborantibus,nec ſerentibus,nec metentibus. Pater cæleſtis pactum præbuit,dicens Adamo,et Euæ primis noſtri generis parentibus.Animaduertite,et maxima animi conſideratione perpēdite,ne de mea erga vos philantropia,et prouidētia diffidatis; nec minora quam par
Pſal.142. eſt,de clementia mea,et benignitate ſentiatis. Quippe cū
Matth.6. ego coruos,paſſeres, et iis minora viuētia,et viliora cibo
Lucæ 12. neceſſario, et conuenienti debeam reficere, ne pereant: quomodo non vos, quos perfectiores ceteris animantibus multo creaui, quorumq. gratia hæc effeci, ac noſtri ſimiles eſtis;non paſcam?Diffidentia hæc eſſet,et inſania, de tanti patris, et conditoris veſtri clementia ita ſentire. Dedi igitur vobis omnibus,et ſingulis hominibus futuris in eſcam omnē herbam,ſalubrem ſcilicet vobis: noxias namq. herbas,quæ cibo veſtro,niſi innocentiam ſeruaueritis,oberunt; fugiendæ vobis erunt,ſi ſaluti cōſulere volueritis. Salubribus ergo veſcemini, ecce eas vobis tradidi; atque antequam vos condidiſſem,iam in alimentum veſtrum produxi,atq. paraui. Similiter etiam in eundem vſum veſtrū,iam ante vos omnes arbores produxi: quarum illas omnes quæ fecundæ ſunt, et quarum fructus veſtro conducunt alimēto,concedo vobis,in eſcam trado,excepta arbore ſcientiæ boni,et mali: vt vnuſquiſque veſtrum, ſecundum vniuſcuiuſq. naturæ condicionem, et complexionem, pro ſuo libito illis veſcatur. Nunc ergo poſtquam benedictione mea aptos vos feci ad ſobolem procreandam,vt ſic veſtra ſpecies (quæ vt reliqua cū primis de mūdi perfectione eſt)perēnis ſit:ſemper enim, et omnium primum mundo ornando, et venuſtādo incumbimus, de cuius ornamento mortalia indiuidua nō ſunt (alias enim quando hæc decederent,et euaneſcerēt, mundus deturparetur,et decurtaretur:quod verum non

eſt)

eſt) ideo vt me magis ſolicitum de ſpecie, quam de indiuiduis declararem, impertitus ſum vobis, ac reliquis animalibus antea benedictionem ſobolis, moxq. alimenta deſignaui. Etſi enim in viuentibus nutritiua facultas ordine naturæ ſit futura prior [a] generatiua; prius enim animal cibum trahet, retinebit, concoquet, et naturali calore in nutrimentum vertet: mox vero vis qua adoleſcet, et vocabitur augmentatiua, vſq. ad ſtatutum tempus tãquam aſſecla ſuo fungetur munere: et denique omnium poſtrema facultas generatiua (cum animal certam quantitatẽ, et robur cõſecutum erit) ſeſe exeret, et late proferet: tunc enim vnumquodq. perfectum erit, cum generare poterit aliud [b] quale ipſum erit. Modo tamen in vobis, ac ceteris animalibus nunc a me productis primis omnium animalium indiuiduis, ſi ſecus res ſe haberet, et nullũ eſſet incõmodum eo quod a me veſtro opifice formante prodieritis indiuidua adulta, valida, et perfecta: ſimiliter quidem herbæ, et arbores, videlicet cum ipſa earum veluti prole: animalia vero ita aptata, et valida, vt dare confeſtim operam generationi abſque alimẽti ſumptione poſſint; quorum ſemen non eſſet nunc excrementum aliquod, vel ſuperfluum alimenti, [c] vt deinceps futurum eſt; ſed ex fecunditate, robore, perfectione, pinguedine, et virtute naturæ in iis a me nunc primum omnium productæ cum ſemine in vaſibus naturalibus requiſito ad perfectã, et adultam naturam generantis. Quid quod habent etiam modo omnia animalia perfecta, quod adulta, et perfecta hoc initio ſui eſſe a nobis prodierint ratione ſuę perfectę creationis, alimentũ paratum in hepate, et venis, etſi externum nondũ ſumpſerint: ex quo alimento concocto ſemen in partibus ſolidis produci poteſt, mutato alimento in naturam, et colorem partium alterantium.

a Ariſt. 2. de anima.

b Ita Ariſt. 4. Meteorologic.

c Vt loquũtur Philoſophi, et Ariſt. 2. de anim.

Omne enim quod in animalibus,et aliis alterabitur,mutabitur in naturam alterantis.qua ratione lac etiám in femellarum mammis album fiet. Hoc igitur ſemine á me vtrouis modo poſito, ſtatim vos, ac etiam animalia reliqua perfecta, ante cuiuſuis externi alimēti ſumptionem, poteſtis,ſi libuerit,perfecte vacare generationi.Propterea igitur primum vobis,ac ceteris animalibus ad prolifican dum benedixi; deinceps vero,modo videlicet, in veſtrū alimentum cibum trado. Geminum igitur obſoniorum genus,vt frugalitas,[a] et parſimonia vobis curæ ſint, parauí:herbas nimirum ſeminificantes ſuper terram,et in ſuperficie eius. Sunt namque aliæ omnino infecundæ, nec emittētes ſemen, vt gramen,[b] epimedion, polypodium, fungi,vtraque filix,et papyrus,et aliæ [c] multæ. Eadem ratione nemini veſtrum in dubium veniat, eſſe pariter etiā arbores quamplures infecundas, et ſteriles; videlicet vlmum,ſalicem,et populum,et alias. Quibus inficiandum non eſt,plantas omnes quæ ſemen,aut fructus edunt, infrugiferis, et infecundis eſſe præſtantiores, atque natura nobiliores.Quas quidem vobis,atque animalibus ceteris in eſcam trado,et aſſigno:herbas(inquam)nedum fecundas,ſed ſeminibus plenas; atque arbores ſuis pomis onuſtas.Hoc enim modo,me iubente,hæc e terra confeſtim die tertia ideo prodierunt,vt et vobis,et animantibus paratum cibum e veſtigio ſuppeditarent ſuper terram,et pa ratiorem tāquam ad manum haberent. Quæ autem ſtirpes,veluti fetus terræ vterum gerentis,intra eam ſunt; vt tubera,miſy,ceraunium,et eiuſmodi; vos veſtra arte, et labore, tamquam ea quæ occultantur, in veſtrum comparabitis, ſi placuerit, alimentum. Omnes igitur plantas vobis in alimentum pro libito veſtro trado: quæ ſane in quatuor genera diuiduntur, ſcilicet in arbores,ſeu ligna,

quod

a Vt elegāter excurrit D. Ambro. in Hexamer.lib.3. cap.7.& Orig.in Hexam. homil.11.

b Teſte Hierony. Oſeæ 10. c

c Vnde audiendus non eſt Theophraſtus,qui ait, nullā dari plantam,quæ omni loco,et omni tēpore ſterilis ſit, lib. de cauſ. plantar. quod eſt cōtra Philonē hoc loco, & Dioſcorid.multis in locis de hiſtoria plantar.et cōtra omnē agreſtiū turbam:immo ipſe Theophraſt.cōtra ſe habet de hiſtor. plantarum.

quod perfectiſſimũ genus plantarum eſt,et pluribus partibus conſtat,et ſimplici dumtaxat caudice a radice aſſurgit;vt palma,oliua,morus. Secundũ genus eſt frutex,pluribus quidem partibus conſtans; tamen eius ſuperficies multiplici caudice aſſurgit; vt roſa, rubus, paliurus. Tertium eſt herba, habens etiam plures partes, aſſurgens tamen ſine caudice; vt triticum,lactuca,cucurbita.Quartũ eſt phriganum,vel ſuffrutex,ſeu cremium, quæ idem valent;plures etiam habet partes,ſed lignoſum exiſtens,minutis foliis cõſtat;vt thymus,ſampſuchum,ruta. Quibus generib.[a] quintum oportet addere, ſcilicet cyema,quod non plures,ſed vnam tantum partem habet; cuiuſmodi ſunt tubera,videlicet miſy,ceraunium, et eiuſmodi. Hæc omnia itaq. plantarum genera,quæ a lignorum,et arborum generibus,et naturis ſecernuntur, vobis in alimentũ conſtituo: ac tantundem etiam omnia ligna,omneſque arbores quæ fructus edẽt,modoq. videtis pomis onuſtas a me fuiſſe productas,in cibum veſtrum, veſtræq. futuræ ſobolis concedo. Id autem commode, et prudenter accipite.Cum enim plantæ aliquot,ſeu herbæ,ſeminificantes quidem,at exitiales,et noxiæ tamen, et venenoſæ vobis ſint; eas ſolum in cibum veſtrum a me aſſignatas intelligite, quæ a vobis citra noxam mãdi poſſunt,et vobis ſalubres ſunt. Quapropter pane vos tamquam proprio, et præcipuo vobis cibo vtemini. Ad quem cõficiendum veſtra arte,et induſtria, perquiſitione, herbarum ſemina, tritici videlicet,ſiliginis,milii,milicæ,ſeu [b] lobæ,ordei, fabarum,oryzæ,et maizii,contũdetis, et pinſabitis. Quamuis ceteris panibus nobilior certe vobis erit qui ex tritico conficietur;vtpote qui facilius parabitur,et guſtui erit iucundior, et melius nutriet. Panis enim iſte cor hominis confirmabit,hoc eſt,præbebit ei ſolidum alimẽtum, nec faci-

[a] *Quæ Ariſt. ſunt & Theophraſti, lib. 1. de plant. c. 3.*

[b] *Vt vocat Plin.*

facile putreſcet: quod commune erit cuiuis frumẽtaceo pani. Quod ſi aliqui veſtræ ſobolis aliquas terrę regiones incolentes, propter incuriam, vel alias rationes, ex radicibus, aut ex piſcibus ſiccis, et mola tritis, ac denique aqua ſubactis, panes confecerint, ſeu ex alia quauis materia: eiuſmodi homines profecto aliorum comparatione pauci erunt, et pręternaturali, inſalubriq. cibo veſcentur. Ego tamen nunc tamquam prouidus pater, et veſtri nimium amans, veſtræq. ſalutis, et iucundioris vitæ cupidus; hac herbarum ſeminificantium, et arborum fecundarum aſſignatione, et traditione, indicare vobis inſtitui, quod genus alimenti vobis vtilius ſit, ac ſuauius. Et quemadmodum omnibus animantibus naturalem appetitum ad generandum ſibi ſimile in ſpecie, propter eam conſeruandam indidi: ac propterea vobis cum feminis legitimum connubium conceſſi, ac mandaui: ſic etiam verbo meo, veſtræ naturæ, ac omnium animantium appetitum impreſſi, quo in alimentum, tamquam in rem ad tuendam, et conſeruãdam indiuiduorum vitam admodum neceſſariam, feramini: ac etiam ea propter alimenta illis, et vobis conceſſi, aſſignaui, et pręmonſtraui. Non quod calcaria addiderim currentib. (ad vtrumq. enim, venerem ſcilicet, et cibũ, omnia animantia natura feruntur) ſed quod velim vobis compertum fieri, me ſumma quadam prouidentia curaſſe, ne vllo vmquam tempore vobis, nec illis deeſſet, quod ſeruandis indiuiduis, et ſpeciebus futurũ fuiſſet neceſſarium. Non autem arbitremini, quia omnibus animantibus veſtræ ſpeciei, ſcilicet hominib. vnam cõmunem eſcam propoſui; ideo omnes homines æque bonas herbas, ac etiam bona ſemina, et poma æque ſalubria, etiam in quocumq. ſtatu, ſiue innocentiæ, ſiue peccati exiſtentes, fore vbique habituros. Sed pro varietate clima-

climatum, et pro diuerſitate ſoli, alii aliis meliora, aut deteriora ſemina, et poma ſunt habituri, (fiunt enim alimenta ex elementis) et terræ qualitates patenter referent: atque etiam homines, et animalia reliqua terræ, non ſunt, nec erunt vbique locorum eiuſdem temperamenti, vel ſucci omnes; neque eiuſdem ſtaturæ, et pulchritudinis: vt ſenſu, et experientia vobis fiet manifeſtũ. Vnde animalia quæ ſterilia, et ſalſuginoſa incolunt loca, minora corpore, et minus robuſta, ac pinguia ſunt futura illis quæ terram fertilem, et boni nutrimenti feracem inhabitant. Si tamen vos in ſtatu felici iſto, quem nunc poſſidetis, permanſeritis; eritis ſemper incolumes, ſemper robuſti, et omnium moleſtiarum ſimul cum veſtra ſobole expertes: nulla honeſta voluptate priuati. Et cũ in vniuerſam terram, et omnia animalia, omnesq. plantas vobis conceſſerim dominium naturale; non tam quod veſtræ naturæ a me fuerit adhibitum, quam etiam debitũ: Dei enim imagini, hoc eſt, animali mente prædito, ſane debetur, vt aliis omnibus dominetur quæ mẽte a carent; *a Sic docet Ariſt. in Polit. et omnes Philoſophi.* et dominium ſit propter vſum: etiam licebit vobis, tamquam veris dominis, omni tempore, quouis euentu vobis conuenienti, animalia omnia, tũ terreſtria, tum aquatilia, quæ ſalubria ad nutriendum vobis erunt, et veſtro alimento conuenientia; in eſcã veſtram capere. Ac proinde primum omnium vobis tradidi, et paraui; atq. nunc aſſigno holera, et arborum poma, et tamquam ad manũ exhibeo; hoc eſt, quæ confeſtim comedere, citra vel moram, vel vllam veſtram operam poſſitis. Ac ſimul quoq. modo concedo, vt animalia, hoc eſt, aliud genus eſcæ (ſi tamẽ appetieritis) vobis poſſitis parare. Animalia namq. non niſi potẽtia longinqua, vel remota cibus veſtex ſunt. Neceſſe enim erit vobis ante, venari, ſeu ad minus perimere

mere,excoriare,coquere,(horret enim natura veſtra cruorem) vt inter os, et offam multum interſit. Ideo vobis ipſis vosmet, ad veſtrum libitũ, et pro veſtri palati delectatione, ea parabitis. Herbas autem, et arbores ego ipſe vobis in eſcam paraui. Illas quidem adultas, et ſeminibus repletas; iſtas vero grandæuas, et perfectas etiam, ac pomis onuſtas: omnesq. ad debitam maturitatẽ deductas, quibus confeſtim, ſi appetieritis,[a] veſcamini. Vtimini ergo omnibus animalibus (quandoquidem omnium eorũ vos dominos conſtitui) ad ſubiugandam terram, ad ferenda onera. Occidite, coquite, comedite: quãquam ego vobis iam paraui, et modo aſſigno ſuauiſſima poma, et ſaluberrima olera: vt quidem vobis in promptu, et ad manum confeſtim eſſent ad edendum, et corpora veſtra nutrienda, et ad vitam veſtram conſeruandam.

a Non ſunt audiẽdi quidã, quos refert Barceph. p. 1. cap. 28. qui exiſtimant, Deum condidiſſe Adamum cibi auidum, et voracem.

Quomodo homo etiam dominiũ, & ius habeat in elemẽta; vide in Vielmio lecti. 29. prope finem.

ET CVNCTIS ANIMANTIBVS TERRAE, OMNIQVE VOLVCRI CAELI, ET VNIVERSIS QVAE MOVENTVR IN TERRA, ET IN QVIBVS EST ANIMA VIVENS, VT HABEANT AD VESCENDVM. Quemadmodum autem et mancipia tenentur per omnia hero ſuo obtemperare, ſuasq. pro viribus operas, vbi iubet, impendere; tantũdem etiam et herus deuincitur eorum curam habere, vt alantur, et ne frigore, æſtuve pereant: hoc enim cum egerit, non tam rei alienæ, quam propriæ ſolicitudinem habebit. Quapropter inferior quiſque ius quadamtenus in ſuperiorem habet, quod hic teneatur ſecundum naturam ei ad nonnulla præſtanda. Nec inde ſequitur, inferiorem eſſe ſuperioris dominum. Ius namq. et dominium non ſemper in idem coincidunt: vt potuerunt quidam veſtrum exiſtimare. Nam filius natura in patrem, ac vxor in virum, multis in rebus ius habere debebunt

bunt; attamen nec iſta viri domina eſt, nec ille dominus erit patris. Exigitur enim preterea, vt qui ius in rem aliquã habet, ſuperior ea ſit; vt ita, et non aliter eius dominus dici poſſit. Cum autem vos ius in animalia omnia a me acceperitis, et eis vos ſuperiores condiderim; eorum omnium vos etiam dominos conſtitui. Atque ita vobiſcum cogitare poſſetis. Vnde, et quomodo tot animalibus edulia nos homines parabimus, quorũ nos opifex dominos fecit? Indigent enim animalia cibo, ſicuti et vos; adeo vt abſque eo viuere diu non poſſint: et magna, et minora, ac etiam minima, ſecundum cõmunem naturam. Et id quod veluti iure ſuo, a me generatim animalium omniũ natura, pro ſeruanda, quam eis contuli, vita expoſtulat: hoc vero eſt, vt generatim eſcam conſimilem omnibus tribuam, et præparem: conſimilem, inquam, hoc eſt, ex omnibus elementis mixtam, cuiuſmodi eorum corpora ſunt: etſi alioquin et alia ratione verum ſit eſſe [a] diſſimilem, ſcilicet in principio; in fine vero ſimilẽ, quæ in aliti ſubſtantiam conuertatur. Vobis igitur a me ſatis nunc eſſe animaduerſum exiſtimate, quid generatim fieri voluerim, et circa procreationem animalium, et eorum nutritionem; et circa id genus reliqua munera. Prorſus prætereunda modo iudicans ea, quæ veluti monſtruoſa habebuntur a vobis; vel certe præter communem naturã, et pauciſſimis contingentia: aut etiam quæ ego vni, aut alteri indiuiduo, vel ſpeciei ex animalibus ſeorſum a toto genere, tamquam veluti prærogatiuas contuli: quibus et ſapientiam, atque potẽtiam meam vobis declararem. Quare non miremini, ſi chamæleontem [b] aëre ſolo ali videritis, (nutrit enim aër [c] etiam aliquo modo reliqua animalia: non enim hunc purum attrahunt, ſed mixtum, multisque vaporibus alteratum) cicadas quoque

a Ita dicitur 2. de anima.

b Ita Ariſ. de par. tib. animal. c. 10.

c Ita docet Gale. lib. de vtilit. partium, et in methodo, & lib. de alimentis.

ſolo rore nutriri. Quamuis enim ore careant, promuſcidem tamen diuiſam habent, qua rorem, aëremque ſugunt. Vrſos quoque quandoque dignoſcetis, pluribus diebus, [a] quadraginta videlicet ad minimum, potiſſimũ autem tribus menſibus; in antris, ac nemoribus latere, ac cibi nihil omnino ſumere: eo quod hæc animalia, et id genus voracia, et priſtinæ voracitatis reliquias ſeruant, et concoquunt (crudis enim cibis, hoc eſt, nedum digeſtis, alios, atque alios ingluuioſi accumulant) vt longo propterea tempore ad illos omnes concoquendos opus ſit. Atque etiam alia, quod maxima pituita onuſta ſint, ex cuius copia, et frigiditate ventriculus efficiatur inſigniter ſtupefactus, ac proinde nil appetat. Quod etiam contingit bufonibus, quos abſque patenti cibo diutius viuere [b] cognoſcetis. Eſt itaque conſtans, omnia animalia cibo indigere, et cibo ali: generatim autem, et pro maiori parte, cibo iſto communi, et qui in promptu haberi poteſt, ſcilicet herbis, holeribus, et aliis, ſecundum exigentiam, et commoditatem naturæ vniuſcuiuſque ſpeciei, et indiuidui. Ne igitur ſolicitudo aliqua de alendis cibo animalibus, quibus vos præſidere volui, ac eorum dominos feci, animos veſtros vmquam angat. En, inquam, terra tantam vltro vobis ſuppeditabit herbam, vt inde animalia omnia paſtum ſint habitura. Latiſſimos quoque amnes perſpicietis, qui eis affluenter potum præſtabunt: ne de re hac, videlicet cibo, et potu animalium, anxii ſitis: generatim enim, et pro maiori parte, animalia omnem herbã ſatiuam in eſcam ſunt habitura, quam ego nũc eis aſſigno, et præbeo. Quamuis feræ permultæ ſint, quæ ſpeciali quodam appetitu, et proprio earum e naturæ impetu, hoc eſt, non communi cum toto animalium genere reliquo, carnibus, vel cadaueribus veſcentur. Et eiuſ-

a Ita ſcribit Ariſ. lib. 6. de hiſto. animal. cap. 30. et lib. 8. cap. 17.

b Simon Portius Philoſophus in libello ad Paulũ III. ſcribit, fuiſſe in Germania puellã, quæ per totũ bienniũ nihil guſtauit: & Olympiodorus ſcribit, ſe vidiſſe hominem, qui ſolo aere, et ſole nutriretur: et Cardanus de variet. lib. 17. cap. 96. refert, Petrum Numagienſem ſcribere, Nicolaum Subſiluanum quendam ſine cibo vixiſſe. Quod ſi verum eſt, non diutius, ſed per aliquod tempus puto ei contingere (vt vrſis) potuiſſe. Hæc præterea mõſtruoſa ſunt, non naturalia.

c Ita docet Caiet. contra Bedam, & Cõradum tract. 1. q. 2. et Ambr. Caterin. in commen-

eiuſmodi feræ, et rapaces alites, gramine, ceterisq. herbis, et plantis, vt minime contentæ veſcentur in fame eas cruciante, et premente. Non enim ſemper cum eſurient, carnes in prōptu habebunt. Tunc ergo feræ huiuſmodi, vt vulpes, vrſus, et c. et alites nonnullæ, auide vuis, pomis, et holeribus crebro veſcentur. Plura itaque animalium genera herbis veſcentur, pauciora carnibus. Et ex iis permulta, cum fame excruciabuntur, ſimiliter herbas depaſcent. Omnibus ergo alimētum neceſſarium, et debitum natura, aſſigno. Carniuoris, videlicet maioribus, et fortioribus feris, animalium imbecillium carnes: herbiuoris autem, herbas, et holera omnia ſeminificatiua: nec non et ligna fructuoſa, ſecundum exigentiam appetitus, et naturæ [a] cuiuſque. Non quod animalia terreſtria, vel volatilia, vel aquatilia, huius cibi, ſiue horum alimentorum, quæ illis conceſſi, et aſſignaui, dominos conſtituam; ſeu ius in ea, vel alia quæcumque illis tradam: non enim vero conſonum eſt, ius aliquod proprie dictum, et dominium ad illos ſpectare poſſe, qui Dei imagines non ſunt, et mentem, et rationem non [b] habent. Ac præterea, natura rerum vos docet, rite, ac recte eos dominari aliis non poſſe, qui idonei non ſunt, ſibi antea dominari, hoc eſt, modum ſuis eorum actionibus, et perturbationibus præſcribere. Quamobrem nemo veſtrum, ſi prudens, et rerum gnarus eſſe voluerit; amentes, et vitioſos, ſi fuerint inter vos, ad præſcribendum ius aliis, eliget. Cum autem vos ſolos inter cuncta animalia ad imaginem noſtram creauerimus; et vos ſoli mente, et ratione ſitis præditi: ac præterea ſolus homo inter animantia ſit, qui ſuarum actionum dominus eſt, ac ſe moderari, et perturbationibus vale dicere poſſit:

tariis: qui putant, feras non fuiſſe in ſtatu innocētiæ Adæ carniuoras. ſed opinio iſta dicitur a S. T. 1. p. q. 96. ar. 1. omnino irrationabilis: nam ob Adæ peccatum nō fuit animalium natura mutata; et cō mode exponit verba Bedæ S. Tho.

a Contra Conrad. tract. 1. q. 6. ſunt hæc, qui dixit his verbis quæ modo explicamus, animalia obtinuiſſe dominium quoddam, & ius in herbas, et holera; quia nimirum ſunt neceſſariæ ad vitæ eorū cōſeruationē. Dominium autem hoc quidam dicūt ſubordinatū homini.

b Ita ſentit diſerte Euſeb. in Catena Pſal. 8. & Patres omnes, vt exiſtimo.

ſicuti etiam ſolus eligere hoc poteſt,vel illud: cum cetera omnia impetu naturæ, non vero electione in obiecta ferantur: vos ſolos dominos omnium plantarum,et totius terræ, ac etiam omnium animalium dominos conſtitui. Atque ideo poteritis,ſine eorum iniuria, herbas,et ligna,ſemina,et fructus,vt auenam, fœnum, et id genus, eis interdicere:quamquam hæc omnia in eſcam illis deputaui. Quapropter homo cum ſit eſculẽtorum omniũ præcipuus dominus,et quod ſit etiam dominus brutorũ; nec vmquam illa iniuria afficiet, nec furtum, aut rapinã committet,ſi ſubripuerit, vel interceperit eorum eſcam: quinimmo et occidere illa ad libitum poterit. Quo ipſo venatio animaliũ naturalis,et iuſta erit vobis; quod [a] natura veſtra ſitis animalium domini, vobiſq. iure vendicetis quæ naturæ veſtræ ſint. Etenim imperfectiora perfectiorum gratia ſunt a me condita. Quamobrem etiam, etſi tradiderim vobis,et animalibus communem cibum, ſcilicet plantas ſemina emittentes, et ligna fructus edentes, ſingula ſcilicet ſingulis,[b] ſecundum vniuſcuiuſq. naturæ condicionem: vobis tamen meliorum arborum poma,et ſelectiores herbas aſſeruaui,et nunc trado. Vt quẽadmodum multis nominib. excellitis beſtiis, ipſaq. præſertim corporis temperatura;ita quadamtenus perfectiora,et nobiliora alimenta habeatis. Et viliores,ac degeneres herbas,hoc eſt,quæ vel infecundæ,et ſteriles ſunt; vel certe quæ vobis raro vſui,et alimento futuræ ſunt; beſtiis aſſignaui: vt puta gramen,et huiuſmodi plantas,quę nuſquam non pullulant,atq. omnibus paſſim locis,vel inuitis etiam vobis: eruntq. gratiſſima [c] boum,iumẽtorumq. ceterorum pabula. Edite ergo vos iam,et comedite,cum libuerit: comedant etiam animalia,et veſcantur cum appetierint. Atque iam contemplari vos oportet, me ſummum

a Ex hoc probat 1. Polit. Ariſt. venationẽ eſſe naturalem, & iuſtam.

b Verba ſunt Gloſſæ.

c Iſtiuſmodi gramẽ eſt, teſtib. Dioſcor. lib. 4. cap. 26. de gramine, Plinio lib. 24. cap. 19.

mum omnium opificem, nedũ vobis prouidiſſe in omnibus ad veſtram conſeruationem, et ſpeciei perennitatẽ neceſſariis; ſed etiam animalibus cunctis, ob nimirum ſupereffluentem meam bonitatem, et gloriam; atque propter veſtram vtilitatem, et mundi huius, quem cernitis, a me conditi conſeruationem. Et dum [a] me ipſum iugiter, perenniterq. contemplor vno, ac eodem inuariabili, ac ſempiterno intuitu, et me, et reliqua omnia perſpicio, et intelligo; et rebus omnibus prouideo, et proſpicio: quo mea ſumma, et plane infinita perfectio vobis eluceſcit: quãquam inferna ſupernis, et infima mediis, ac media ſupremis, non ex indigentia virtutis, ſed ex affluentia bonitatis moderari, et gubernari amanter volo. Et cum animalia toto terrarum orbe ſint diſperſa, ac futura; proſpexi etiam, vt herba toto terrarum orbe ſuo ſtatuto tempore naſcatur. Et cum terra herbam deinceps emittere non poſſit, niſi primum fuerit aquis irrigata; prouidi rurſum, ac iuſſi; vt vbiq. vel imbribus, cum opus fuerit, irrigetur, vel amnium inundatione [b] perfundatur.

ET FACTVM EST ITA. Et ſane quidquid hac die opifex fieri mandauit, ſcilicet hominem conſtitui, et eſſe rerum omnium dominum, et daturum operam libe ris, ac denique holeribus, ac pomis, atque aliis ſalubribus cibis a Deo paratis, et illi conceſſis: atque etiam animalia reliqua ex illis alenda: totum fuit ita [c] procul dubio factũ vt ipſe dixit, et nihil eius verbum ſubterfugit, ſed etiam omnia perſeuerant ita, videlicet ſecundum dicentis [d] imperium. Ipſe enim idem opifex, heri, et nunc eſt: qui producit in montibus fœnum, et herbam ſeruituti hominũ: et qui dat iumentis eſcam ipſorum. De potu vero homi num, et animalium nil vobis dicimus; vel quod nomine cibi comprehendi ſoleat, vel quod Adamus non fuerit

a Hinc colligitur imbecilla eſſe, quæ de triplici Dei prouidentia docẽt Plato apud Gregor. Nyſſen. et Auerr. 12. Meta. ſi de Dei intellectione affirmat. Et impiũ eſt quod Plini. lib. 2. ait, irridendũ eſſe, illud quidquid eſt ſummũ, curam rerũ humanarũ agere. Moſes. n. verbo Dei hoc loco teſtatur luculenter, hunc ipſum rebus omnib. etiã infernis proſpicere, & prouidere.

b Vt euenit Aegypto, quæ flantibus Eteſiis, tumefactione Nili & extra alueũ latiſſime excurrentis tota madeſcit, et fertiliſſima efficitur.

c Sic exponit Caiet.

d Sic Rupertus Abbas.

ſolicitus, qui latiſſimos amnes perſpiceret.

VIDITQVE DEVS CVNCTA QVAE FECERAT, ET ERANT VALDE BONA. Videte iam vniuerſum Dei opificium, cum mundum hunc a ſe conditum, iis omnibus quę hactenus iis diebus fecit, et a me vobis, breuitate qua potui, recenſita ſunt, quale fuerit. Nec enim meo, aut alterius hominis iudicio laudabo; ſed Dei omnipotentis, eiuſdemq. opificis, qui omnia intuetur, quiq. falli non poteſt, approbatione, et ſentētia commendabo: vt [a] hoc modo linguas omnium contradicere conantium compeſcamus. Cum igitur Deus viſis, et conſideratis iam antea ſingulis creaturis a ſe conditis, ſingulas quaſque laudauit, et approbauit; atque ſuo inſtituto, videlicet mundo a ſe conficiendo, conuenientes, et bonas [b] iudicauit. Nunc autem omnes ſimul res vniuerſum conſtituentes, et decorantes conſiderans opifex, ac omnia ſua opera in mundi conſtitutione perſpiciens, iudicauit non ſolum eſſe bona, ſed valde bona. Nam et ſeorſum qua ſunt, bona ſingula ſunt: qua tamen cuncta ſunt, hoc eſt, ſuo quoq. ordine ſingula digeſta, et ordinata; ac ſimul vnum opificium, et tāquam partes quędam, illuſtriſſimū quoddam totum conſtituunt, et abſoluunt; valde, hoc eſt eximie, inſigniter, et præcellēter bona ſunt. Solus enim mundus inſigne quoddam, et omnib. prorſus numeris abſolutum, et integrum bonū eſt: et cui proinde ab opifice partes omnes deberentur, non quidem ex debito [c] iuſtitiæ, aut ſimpliciter; ſic enim ipſe quoque ad vniuerſum ordinaretur: ſed ſponte, ac ſua ductus voluntate, et amore; ac propterea ex [d] condecentia. Enimuero mundus cōplectitur omnes perfectiones, omneſq. gradus, et rerum ordines, quos ei Dei ſapientia ab ęterno decreuit. Quapropter et nihil extra ipſum reperies, nihil in eo

a Ita docet Chryſoſtomus.

b Aduerte, Moſen non dicere, Deum creato homine vidiſſe quod eſſet bonum, ſicut de ceteris operibus Dei ait, vidiſſe Deum eſſe bona, et omnia ſimul valde bona: quia iam id ſe dixiſſe putauit, cum ſemel, ſecundo, & tertio dixit, eum eſſe factum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei: ex quo ſequitur aperte, eſſe opus bonum.

c Quis enim Theologus hoc dicet?

d Vt ſcite, et prudenter ait S. Tho. 2. contra gen. cap. 28. & 29.

in eo eſt ſuperuacaneũ, nil inordinatũ, aut [a] turpe. Vnde κόσμος, id eſt, ornatus, a ſapiẽtibus Philoſophis, ob admirabilem pulchritudinem, et præſtãtiſſimam elegantiam, nuncupatur. Et ſi ordine carerent mundi entia, concidiſſent iam pridem, nec tamdiu conſtitiſſet mundus. Turba enim [b] inordinata in prælio victima eſt. Pugnant autem inuicem elementa, et ferme omnia infeſtãtur contrariis: et ſunt tamquam in prelio poſita. Etſi igitur innumerabiles ferme ſint rerũ vniuerſi inuicem [c] antipathiæ, et ſympathiæ; hoc eſt, conſenſiones, ac diſſidia, abſque manifeſta ratione: et denique quamuis nos infeſtent tot morbi, cædes, et funera; omnia tamen Dei amplitudinem, et auguſtam quandam maieſtatem, ac largitionem in mundum, nobis deprædicant. Vt ſi humano more de Deo loquendum ſit, minime ſit diffitẽdum, illum in hac rerum ordinatiſſima ſerie, et præcellentiſſima vniuerſitate, ſibi magnopere [d] complacere: vt ſit gloria Domini in ſæculum, et lætetur Dominus in operibus ſuis; magna cum ſint opera eius, et exquiſita in omnes volũtates eius. Eximie igitur, et præcellenter vniuerſum totum, bonum eſt; et ea bonitate, quæ in rerum adinuicem ordine, affinitate, ac nexu ſita eſt. Quæ etiam ei intima eſt: et ea (et longe meliori) qua adeo, nec ſane vno tantum modo, ſed multipliciter dependet. Etenim Deus mundi [e] exemplar eſt, cum ex ipſo, et per ipſum, et in ipſo ſint omnia: ac proinde mũdus dici poteſt illius ſimilitudinem referre, et eius opifex, rector, et conſeruator eſt. Et proinde mũdus, opificium, et creatura illius eſt. Et denique opifex illius finis eſt, cuius præcipue gratia illum condidit: vt ideo pondere quodam, et naturæ impulſu ad Deum, ſicuti ad mare flumina decurrete ſolẽt, omnia tendant, ſuo vnũquodq. modo, et cum primis ſubſtãtiæ intellectu preditæ: in quibus

[a] *Vt late docet Ariſt. 1. cæli, Plato in Tim. Auguſt. 11. de ciuit. Dei.*

[b] *Verba ſunt Vegetii.*

[c] *Quarum multas expendit Cardan. lib. 18. de ſubtilit. rerum, & Fracaſtorius egregie.*

[d] *Vt Plato in Timæo ſcribit, & Triſmegiſt. interprete S. T. cum dixit: Monas genuit monadem, & in ſe ſuum reflectit ardorem.*

[e] *Vt ait Plato epiſt. ad Dionyſ. et Paul. Rom. 11. fin.*

bus pondus,et propenſio,atq. impetus, amor etiam [a] dicitur. Quare inquieti vt ſimus, neceſſe eſt, quamdiu hic poſiti peregrinamur longius a Domino. Si ergo mundi huius totius naturam, et conditionem, atque omnium, et ſingularum partium eius conſideremus; adeo egregium, et elegans bonum eſt, vt nil fieri in eo aliter debuiſſe, quam factum eſt, facile omnes [b] intelligamus. Quamuis minime credendum ſit,vniuerſum hoc melius ab opifice Deo fieri non potuiſſe. Deus namque omnia poteſt: bonum autem vniuerſum, et valde bonum cum a nobis dicitur; non tale appellamus, quod ipſum, nec res in eo contentæ,natura ſua,ac per ſe,et non per aliud, bonitatem ſibi vendicent, ac eis bonitas conueniat. Ita namq. ſoli Deo Opt. Max. bonitas conuenit: et ob id in ſua ratione formali, integra, et illimitata, et incomprehenſibili, bonitatem includit; ita vt Deus ſit præciſa ratio bonitatis: ſicq. eſt bonum illimitatum. Sed res omnes, ac totum vniuerſum, bona ſunt ſola Dei largitate, participatione, et impertitione, qua effuſius ſuam bonitatem in res mundi, inq. totum mundum effuderit, atq. ipſum effecerit: adeo vt creaturæ, preſſe Deo comparatæ,nec bona ſint,[c] nec entia.Solus enim Deus eſt qui eſt. In claſſe autem creaturarum, et in eo quod eſt commune,non Deo,et creaturis; ſed ſubſtantiæ,et accidenti; totum vniuerſum perfectum, et integrum eſt, numeriſque omnibus conſummatum: iuxta tamen opificis Dei ſapientiam,et præſcriptionem.Tantundem quoque de ſin gulis creaturis iudicandum: quia omnis creatura bona eſt; quod ſi aliqua mala nuncupetur,ideo eſt,quod com parata ſigillatim ad aliquod bonum, contraria illi ſit, ac ei proinde mala,non autem vniuerſo, cui apprime optimum eſt, hæc ipſa quoque mala particularia, in ſe ipſo com-

a Teſte Auguſti. lib. 12. confeßion.

b An vniuerſum melius potuit fieri, & quib. modis, agunt Lactant. de opificio Dei cap. 3. & S. T. 1. p. q. 26. et Capreol. accuratißime, quem conſulendū moneo 1. d. 43.

c Sic Angelos cōparatos Deo, negat Augu. eſſe iuſtos, quod ſanè iuſti ſint ſola Dei iuſtitiæ participatione: ita ad Oroſium contra Priſcillianiſtas, & Origeniſtas cap. 10. et ſic uidetur ſētire Iob 4. & 25.

complecti. Quapropter, ſi [a] malum huiuſmodi non eſſet,nec etiam bonum,eius extremum inueniri poſſet: et ita neque Deus omnis boni eſſet cauſa. Sunt enim contraria hoc genus,mutuo quodam nexu colligata:vt proinde ſi tuleris vnum, abſtuleris vtrumque neceſſe ſit. Quamobrem impoſſibile eſt, perire mala: ſubcontrarium enim aliquod bono eſſe,neceſſe [b] eſt. Quo fit,ignẽ eſſe in vniuerſo, vos docere oportere; quod eius in natura ſit [c] contrarium, ſcilicet aqua. Etiam eſſe conſtitutũ vniuerſum ita,vt huiuſmodi mala, quæ abſolute, et ſimpliciter mala non ſunt, (tale enim malum,iudicio ſapientium,[d] nil eſt) ſed comparata ſigillatim ad naturam alteram,in eo contineantur: maxime congruit opifici Deo, et nobiliſſimo eius operi mundo.

a *Verba ſunt Simplicii 1. cæli, tex. 132.*

b *Hæc docet Plato in Timæo.*

c *Ita Ariſt. 1. cæli.*

d *Secundum Theologos, & Philoſophos.*

ET FACTVM EST VESPERE, ET MANE DIES SEXTVS. Et in his conficiendis, et componendis, videlicet, piſcibus procreandis in aquis, animalibus producendis in terra, edendisq. volucribus, vt in aëre volare poſſent,inq. homine,omnium animantium præſtantiſſimo,faciendo, ad imaginem,et ſimilitudinem ſuam; illumque, et cetera animalia fecundando, atque vim ad ſobolem ſuæ ſpeciei propagandam, cuiq. concedendo:hominem item totius terræ,ac omnium in ea viuentium, et omniũ animalium cuiuſuis generis dominum inſtituendo:atq. etiam illi,ac ceteris animalibus, maxime terreſtrib. omnem plãtam,omnem herbam ſemen ferentem, omniaq. ligna fructus edentia, quæ ſalubria,et conuenientia eſſent,aſſignando, et concedẽdo in cibum, et alimentum; ſecundum conuenientia naturæ cuiuſq. ſpeciei,et indiuidui, ad conſeruationem vitæ cuiuſq. ſpeciei indiuiduorum:in iis,inquã,omnib. operibus exequendis,tranſactus eſt ſextus dies, ab illo mane quod

fuit finis quintæ diei, et initium huius ſextæ: aſcendente ſole a puncto Arietis: quo primo inſtāti temporis (quod fuit initium primi diei, principiumq. totius temporis) ſol motu rapto ad motum primi mobilis, qui tunc incepit, vt diximus, cœpit motu cieri ſupra horizōtem rectum, et eodem peruadente ad meridiem, vſq. ad occaſum: quo factum eſt veſpere, tamquam terminus conuerſionis ſolis ſuper totum horizontem rectum: et etiam factum eſt mane, currente eodem ſole oppoſitum hemiſphærium, et ad punctum regreſſo, vnde, vel in quo creatus fuit, et cœpit prima die motu cieri, et primo mane hac die aſcēdere ſupra horizontem rectum viſus fuit: quibus duabus partibus totius conuerſionis ſolis, die ſcilicet, et nocte, ſpatio viginti quatuor horarum, conſurrexit, inſtar primæ diei, ac aliarum ſubſequentium, dies ſextus, completus, et perfectus, atque vltimus [a] operum Dei. Cuius fini addidit [b] opifex finem formādi creaturas. Sex igitur diebus naturalibus, req. diſtinctis, ac ſpatio viginti quatuor horarum, die, ac nocte ſingulis conſtātibus, totam huius materialis orbis fabricam, quo ad omnes ſuas partes, tam eſſentiales, quam accidētales, quæ ipſum decorant, et venuſtate mirabili perficiunt, Diuinus opifex effecit. Et quāuis ſuam potentiam infinitam, et incomprehenſibilem, ſi omnia ſimul et creaſſet, et diſtinxiſſet, et ornaſſet; nobis maxime declaraſſet, et commēdaſſet: (virtus [c] enim infinita in inſtanti mouet, etſi ſit in magnitudine, et agat ex neceſſitate naturæ) verum cum non ſolam vbique Dei omnipotentiam reſpicere debeamus, cum neque eam tantum ipſe nobis aperire velit: verum etiam et eius ſapientiam, qua libertatem ſuam, ſecundum quam operatur, declarare inſtituit: quamuis iam in opere creationis mundi ſatis, ſuperq. opifex ſuam omnipotentiam, ex nihilo

a *Sic ait Gloſſa.*

b *Sic D. Chryſoſtomus.*

c *Ita Ariſt. 8. Phyſic. & intelligitur non de agente per voluntatem.*

hilo

hilo totam hanc primorum corporum congeriem,et vniuerſitatem efficiendo,patefecit: noluit tamen in inſtanti eam venuſtare, ſed ſenſim, atque gradatim; vt aperte inſinuaret, ſe non naturæ impetu hæc omnia agere, aut neceſſitate: ſed electione,ac ſponte,et inſigni quadã ſua libertate.Quo ſane modo non repugnat, vt virtus infinita et incomprehẽſibilis in magnitudine ſit, et quæ maiori quoque tempore moueat quam finita.Quod eſſe non poſſet, ſi illa de neceſſitate ageret naturæ. Quod enim agens eiuſmodi eſt, agit pro virili, id eſt, quantum poteſt: efficiens autem voluntarium, et liberum, etſi etiam viribus ſit immenſum, et infinitum; efficit, et mouet, non quantum poteſt; ſed quantum, quo modo, et quando ei [a] libuerit. Sic igitur ſummus opifex cum operetur: in ſex dies naturales mundi totius opificium diſtribuit;inq. eorum ſingulis, ſecundum ſuum beneplacitum, et creaturarum naturæ exigentiam,ſingula ſua opera eſt executus. Et hac ratione,non vno momento Deus mundũ expoliuit,et ſuis omnia locis probe formata,et integra collocauit. Sic enim vniuerſa a me vobis hactenus dicta, tũ de diſtinctione,et ſeparatione partium vniuerſi,ab opifice facta, videlicet cæli ab elementis,terræ ab aquis; tum etiam de horum ornatu,ſcilicet per diſtinctos dies diſtributa,et facta a Deo, intelligi a vobis poſſent, non ſecundum peruulgatam verborum ſignificationem,ſed ſecundum allegórias,ſeu anagogias, ac metaphoras quaſdam: quod rationi hiſtoriæ,quam vobis de rerum omnium geneſi procul dubio in præſentiarum texere inſtitui,omnino repugnat. Non ergo hac in parte, in peregrino ſenſu meorum verborum,vos diuagari oportet: ſed opificem intelligite, ſex diebus diſtinctis,[b] et naturalibus, viginti quatuor horarum ſingulis ſpatio conſtitutis, vt habitum

eſt a

a Graues Peripatetici putãt Ariſt. exiſtimaſſe, Principem Deum agere de neceßitate naturæ. Cui aliquo modo cõſentit Philo Iudæus in libro allegoriarum, vbi aſſerit, ruſticanæ ſimplicitatis eſſe, putare, Deum ſex dieb. vel certo tẽpore mundũ feciſſe. Sed certe Philo platonizat, vtque ſolet, allegoriis ibi ludit.

b Hæc eſt ſententia Baſilii, Greg. Nazian. & alior. qui litteræ intelligentiam ſectãtur. Oppoſitum tenet Auguſt. cui cõſentire videtur Caietanus.

eſt a me,et enarratum: eo modo,atque illo ordine a me vobis propoſitis,omnia hæc opera mundum totum cõſtituentia,diuidentia, ac venuſtantia effeciſſe. Sicq. veriſſimum eſſe,terram antea fuiſſe inanem,et vacuam,atque vndique aquis coopertam:poſtea vero tertia die detectã; et deinceps plantis,et animalibus ornatam.Rurſum conſtantiſſimum eſſe hinc intelligite, Adamum prius ſexta die creatum fuiſſe a Deo extra paradiſum;ac deinceps in eum opifex, vt effuſius delectaretur, adduxit. Quemadmodum enim terram,eodem momento vacuam et plenam,atque tectam aquis et opertam,eſt impoſſibile:tantundem etiam Adamum, eodem momento apud antipodas,et in agro Damaſceno fuiſſe,fieri nõ poteſt. Quapropter hæc opificis opera, ac reliqua quibus mundum compoſuit,et effecit; non eodem momento, ſed pluribus diebus,hoc eſt ſex, ſicuti diximus,ab eo effecta ſunt. Ita tamen has generationes, et productiones terræ ex nihilo,et aliorum quę extra compegit,executus fuit in hoc tempore ſex dierum opifex ſimul,hoc eſt,continuatione quadam temporis; vt nulla,vel parua mora,exiguumve temporis interuallum interceſſerit, dum hæc ſua opera efficeret: vt vere dicere poſſitis,opificem Deum,qui [a] viuit in æternum, creaſſe omnia ſimul. Quemadmodum domus tota ſimul exſtrui,ac ſtatim fieri dici poteſt, quæ ſucceſſiue ſine temporis interpolatione ædificatur:etſi iaciantur antea fundamenta, moxq. erigantur parietes, ac poſtea tectum ſuperponatur, atq. adeo in tempore conſummetur: ſic etiam Deus iugi,et continua quadam dierum ſerie,in quibus feriatus non eſt,nec ſuũ reliquit opificium;illa omnia quæ mundum perficiunt,et exornant, abſoluit. Atque ideo omnia ſimul,vere,ac prudenter dicimus, ea effecta eſſe ab illo: tametſi ſex dierum ſpatio illa

a *Locus iſte Eccleſiaſt. 18. explicatur hoc modo.*

illa fuerit operatus, vt die ſeptimo requieſceret Deus ab omni opere cõficiendo: atque in eo delectaretur in opere ſuo quod ſex diebus feciſſet. Vt ſic deinceps homines, numero [a] ſeptenario intelligerent, tempus ferme omne circumuolui: nimirum ſeptem diebus, et ſeptem annis, et denique ſeptem annorum ſeptimanis; quas eueſtigio in populo Domini, qui eſtis vos, Iubilei annus (vt vobis dicam poſtmodum) ſubſequetur, tãquam videlicet ſeptem horum primorum dierum illuſtres imagines. Vnde omnium hominum vſus fuit, et [b] cunctorum ſæculorũ conſenſus obtinebit, confertim, et agminatim apud omnes nationes, hebdomadis perpetuo vti: quibus operas, labores, et tandem feriationem, et quietem ab operibus metiantur: ſex ſcilicet diebus operantes, et ſeptimo quieſcentes. Etſi enim variæ, et diuerſæ nationes, et gentes varium ritum, ac diuerſum morem in denominandis diebus, et accipiendo quietis die, ſibi vſurpent: at in vtendis hebdomadis, ſummam omnes habent conſenſionem, et perennem ritum. Cuius facti, et communis inſtituti ratio hæc eſt. Quod edocti homines vetuſtiſſima maiorum traditione intellexerint, ſicuti ſemper intelligent, ſex diebus Deum effeciſſe mundum, ac ſeptimo quieuiſſe. Ac proinde, tametſi numerus in denario quieſcat, non conſtituiſſe ſibi homines decimanas; ſed voluiſſe eiuſmodi hebdomadibus, hoc eſt ſeptimanis, in ſuis eorum negotiis tranſigendis, Deum hebdomadam in mundi creatione conficientẽ adumbrare. Intellexerunt ergo ante nos omnes nationes, vetuſtiſſima maiorum traditione; et quicumq. poſt nos futuri ſunt homines, eadem intelligent, ſi mediocri lumine rationis naturalis fuerint præditi, et inſtituti, ac multo, et longe perfectius fide Dei illuſtrati, hebdo-

a Sic perpendit Gregor. homilia de Magdalena.

b Siquidem Græci, Latini, et Barbari perpetuo vſi ſunt hebdomadib. De quibus, et omnium dierum nominib. obſecro legas Lilium Greg. Gyraldum in ſuo lib. de annis, & menſibus.

hebdomadam hanc Dei,quam vobis conſcribimus,fuiſſe ſeptem integras primi cæli conuerſiones, et ſeruaſſe opificem numerum dierum hunc, cum initio res efficeret: et ob id ſibi perpetuo ſimiliter ſeruandum instituerunt,atque ceteri inſtituent:ac nobis idem ſeruãdum fore neceſſum eſt. Opifex autem Deus Opt.Max. conſulto ſeruauit numerum hunc ſenarium in mundi huius opificio exequendo,ac ſæpenumero[a] in tranſigendis iis, quæ ad hominum ſalutem pertinebunt,obſeruabit. Quod numerus hic perfectiſſimus ſit:conſtat enim medietate tertia,[b] et ſexta; hoc eſt,tribus duobus,et vno; quæ et coniunctæ conficiunt neceſſario numerum hunc. Ita hic in alias partes deduci exacte non poteſt. Quapropter perfectionis loco,tum apud Deum,tum etiam et apud homines vſurpatur, ac multis celebratur præconiis; eo quod ſexto die opifex Deus opera ſua perfecerit. Vt potius ab operibus Dei hic celebritatem ſit adeptus, quam ecõtra. Atque adeo cur non pluribus, vel paucioribus diebus ea conſummauerit,conſultiſsimum nobis fuerit exiſtimare huius rei eſſe cauſam, imperſcrutabilem quandam,et arcanam Dei voluntatem. Quemadmodum et cur non antea, aut poſtea ſuam illam incomprehenſibilem vim in hoc mundi opificio fuerit executus. Curq. [c] non maioris,vel minoris fecerit magnitudinis, aut molis. Atque cur certam periodum, et determinatum quoddam temporis interuallum, nec maius,nec minus, generationi,et corruptioni rerum præfinierit. Horum, et ſimilium, illa ſola cauſa vobis perſpecta eſſe debet: quoniam ſic placitum fuerit ante mundi opificem, et ita ſibi lubuit ſilentium deferre ſeptimo die, et requieſcere ab omnibus mundi operibus. Atque ſic nos quieſcere inſtituimus ab expli-

a Ita docet Aug. Pſal.92.& lib.12. contra Fauſtum.

b Ita docent Didymus in Catena Pſal.56. Macrob. lib.1. in ſomn. Scipionis,& Doctores qui de numeris philoſophantur.

c Ita cõcludit Hieronym. Vielmius.

explicatione paraphraſtica huius primi Geneſeos capitis, ad laudem, et gloriam Omnipotentis Dei, necnon et Deiparæ Virginis Mariæ: omnia correctioni Sanctæ matris Eccleſiæ ſubmittentes.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ΟΥΤΩϹ ΤΡΕΧΕΤΕ



ΙΝΑ ΚΑΤΑΛΑΒΗΤΕ

VALENTIAE

Ex typographia Philippi Mey

∞ D XXCIX.